AMICI AD AMICUM

SUPER EPISTOLA

DE

STATU TRACTA-

TUUM PACIS AMICI AD AMICUM

Reſponſio.

Nec non ſolita & ex actis ipſis deprompta
Informatio,

Qua contra Ioannem Adlerum Salvium
Legatum Suecicum, & Claudium de Meſmes Comitem
de Avaux, miniſtrum Gallicum,

*Culpam retardatorum Pacis tractatuum, penes regem Galliæ & reginam
Sueciæ reſidere oſtenditur.*

Adiuncta eſt amico critica admonitio ad Galliæ legatos Mona-
ſterium Weſtphalorum Pacis tractandæ titulo miſſos

*Item obſervationes N. N. Germani Franci ad epiſtolas quas ijdem galliæ Legati ad ſingulos
Sa: Imp. Princ. & dietam Francofurtenſem ſcripſere die 6. Aprilis*



ANNO M. DC. XLV.



MAGNIFICE
ET
NOBILISSIME DOMINE,
Amice plurimùm honorande.

MISISTI iam pridem ad me exemplum epiſtolæ ab Amico, ut aiebas (cuius tamen nomen non edebas) in negotio famigeratiſſimorum Pacis tractatuum ad te ſcriptæ; ſimulque ſignificaſti, eſſe etiam te ex eorum numero, qui unà cum Amico epiſtolæ Scriptore, ante hac ferè opinati ſint, Regna (puta Galliæ & Sueciæ) pacis odio moras nectere: Nunc tamen vereantur, ne Auſtriaci adhuc paci bellum præferant: Noluiſſe tamen iudicium tuum ad unius partis informationem præcipitare, ſed hactenus ſuſtinere, dùm à me, ut qui in eorum, qui hæc tractent, penetralibus habitem, ſi aliter ſe res habeat, edocerare; Quod ut vel Amicitiæ priſtinæ noſtræ, vel complurium aliorum votis dem, amicè rogabas, paratum te oſtendens, meliore informatione accepta, non modo ipſe in priore ſententiâ tuâ perſiſtere, ſed in eandem etiam amicum reducere, & confirmare. Huic tam honeſtæ petitioni, ut ſatisfacerem, tãetſi, quàm variis ſubiectum obtrectationibus opus in me ſuſciperem, non ignorarem, facilè tamen me vel memoriâ eius, quæ olim inter Nos contracta fuit, amicitiæ, vel ſpe fructus, quem oſtendebas, propoſiti adduci patiebar; Iamque adeò ad ſcribendum me comparaueram, quando, ecce, litteræ à Sereniſſimo Rege Daniæ ſunt allatæ, quibus Maieſtati Cæſareæ ille & dictam epiſtolam, & aliam à Domino Claudio de Meſmes Comite d'Auaux miniſtro Sereniſſimi Regis Franciæ ad ſe in eadem hac materiâ ſcriptam communicabat; ſimulque conſtitit, primùm quidem, quæ in priore illâ epiſtola ab Amico

ad te data asserebantur, à Ioanne Adlero Salvio Aulæ Cancellario Serenissimæ Reginæ Sueciæ, eiusque ad dictos tractatus Legato pro veris & ex mente sua scriptis agnosci; ac mox eundem ipsum eius esse authorem.

Fecerunt hæc, ut scribendi impetum aliquantum cohiberem, primùm miratus nonnihil, quod tu ad me scribens nomen Amici non edideras, & ex hoc veritus, cum eodem ne colluderes, aut certè tantùm iã & à pristinâ nostrâ amicitiâ & veritate esses alienior, quanto magis adversariis factus amicus. Veruntamen sicutitu hoc, jure veteris amicitiæ, à me impetrabas, ne temerè sinistri aliquid de te crederem doceri cupere profitente: ità illud, quod Amicum, quandiu is latere voluerat, non prodideras, fidei tuæ facilè tribuebam.

Subibat autem inter hæc aliud magis metuere, videlicet, ne, cùm res ad Cæsarem esset delata, jamque in publicâ omnium luce versaretur, voluntati Sacræ Cæsareæ Majestatis, vel eorum, quibus ad hoc officij præstandum paratior, & amplior est facultas, scriptione mea præverterem.

Nec sanè diu fuit, cum huc perlatum est à Serenissimo Electore Saxoniæ apud dictum Serenissimum Regem Daniæ partes Cæsaris contra Claudium Memesium in hac causa ita defensas fuisse, ut ei, qui idem vellet aggredi, ne actum ageret, verendum esset.

Iterum ergo dum id responsum in publicum prodiret, expectandum mihi fuit. At enim cùm id linguâ Germanicâ scriptum, nec hactenus, quod sciam, fuerit editum, fortè etiã iam non edendum; & tua (quod proximis tuis ad me significas) atque Amicorum constantia nutare iam incipiat, silentium meum pro diffidentiâ causæ interpretantium; statui non tacere diutius, sed breviter intra privatæ Epistolæ modum ostendere, culpam protracti belli, sive retardatæ de pace actionis, non esse in Augustam Domum Austriacam, sed in Adversarios conferendam.

Ac ne te multis morer, videndum, unde exorsi, quibus adversarij argumentis contrarium tibi & alijs persuadere conentur. Et Amicus quidem tuus, (cuius Epistolæ apographum unà cum P. S. hic sub Num. 1 tibi remitto:) ad te ita infit: *Vt igitur desiderio tuo, satisfacerem, insinuavi me ipsorum huius rei actorum familiaritati, eorumque rationes, pro & contra, quam potui accuratissimè inquisivi: Et, ut candidè dicã, quod sentio: Etsi ante hac ferè opinatus sim,* Regna *pacis odio moras nectere; vereor tamen ne Austriaci adhuc paci bellum præferant.* Effatum haud levis momenti! quale id sit, & quàm ritè pronunciatum, perpendendum aliquantum, ne temerè vel reijciatur, vel admittatur! *Et insinuavi*, ait Amicus tuus, *me familiaritati huius rei actorum*: Imo, sicut ex alterâ editione epistolæ eiusdem ad finem libelli à Claudio Memesio Comite d'Avaux vulgati annexæ patet, ipse Amicus tuus unus & præcipuus est huius, de qua agitur, rei Actorum; & quidem adversarius Salvius! Quid suades, Amice, huiusne ego in hac causâ Iudicis cognitionem subibo, an excipiam? Plena, inquis, res periculi! Sed vide, quàm mihi fiduciam causæ bonitas

nitas faciat: non excipiam, ſed patiar in causâ procedere etiam Iudicem adverſarium. *Rationes*, inquit, *eorum pro & contra, quam accuratiſſimè potui, inquiſivi.* Laudo equidem, ſi verùm dicit, & id officii, quod ſuſceptũ ab illo video, ratio poſtulabat; Et quin rationes quidem adverſæ partis ſat exploratas habuerit haud multum diſputem. At de altero, quod non minus neceſſarium erat, nempe, ut æque de alterius etiam partis rationibus edoctus fuerit, admodum dubito, & ne credam, plurima prohibent: locus, tempus, & res ipſæ, ac homines, per quos illæ tractatæ, multum ab illo & remoti & alieni. Audiam tamen iudicium! Sed tuam fidem, ô optime Salvi, ne te amore, vel odio partis in tranſverſum rapi patiaris, alioqui non effugiturus ſyndicatum! *Etſi*, pronunciat, *ante hac ferè* (dixiſſet verè, ſi verum voluiſſet dicere!) *opinatus ſim, Regna pacis odio moras nectere, vereor tamen ne Auſtriaci adhuc paci bellum præferant.* Sanè contremueram, & ſub ipſum ſententiæ ferendæ punctum, dum perpenderem, quam rem feciſſem, tanti cauſam momenti iudicio adverſarii committendo, iam penè temeritatem meam damnabam. Sed ad me iam redeo, quaſi frigidâ aſperſâ excitatus. Salva res eſt! Nam ut video, de præteritis quidem tantum non triumphamus, iudice adverſario; de præſentibus non damnamur! O magna & inſuperabilis vis veritatis, quæ quantũvis in adverſarij pectore reluctantis compede affectus conſtricta teneri ſe non patitur, ſed per obſtantes paſſionum cuſtodias eluctata verum bonæ cauſæ teſtimonium perhibet! Nimirum de iis, quæ tractatum Hamburgenſem præceſſerunt, ſat fatetur Auſtriacos abſolvendos; de aliis adhuc veretur. Age ergo de præteritis ſic ſatis tuti, videamus, ut metum ex præſentibus conceptum ipſi adimamus.

Sed hem quid accidit? Quid hoc monſtri ad me affertur? acta, geſta, ſententia, planè corrupta, vel falſificata! Lege, O amice, epiſtolam Amici tui ſub nomine Salvii Ambſtelodami excuſam, & ad calcem libelli à Claudio Memeſio Comite d'Auaux ſparſi annexam, hic ſub N. 2. repræſentatam: & vide, quæ fideliter à me ex apographo epiſtolæ amici tui ad me miſſo recitata fuêre, quàm non probè & ſyncerè, ſed planè perversè & corruptè edantùr? In quem modũ Amicus tuus ad te ſcripſerit, iam mecum recognoviſti; At idem apud Memeſium quid dicat, cognoſce. *Vt igitur deſiderio tuo ſatisfaciam, & candidè dicam*, quod res eſt; *Etſi* nonnulli *ante hec opinati ſint, Regna pacis odio, moras nectere: Nunc tamen* omnibus notum eſt, *Auſtriacos adhuc paci bellum præferre*; Quæ, malum, iſta improbitas? Aliusne Amicus tuus, O amice, & alius Salvius? an unus idemque homo ex eodem ore calidum & frigidum efflans? Proceſſus, iudiciũ, ſententia pleraque omnia hic alia & perverſa! An fortè manus Gallica epiſtolam hanc ſuę appendens falcem, ſive falſum hoc, in alienam meſſem immiſit? Ita videlicet, ut Salvius aliud inter amicos, aliud inter Gallos, a-

liud secum, aliud ad libellum (an libellum?) Memesii appensus loquatur? O miseram, si sic est, Salvij & Suecorum conditionem! Sed quid si veteratores Memesius & Salvius ita mutuas operas locant, ut, quod hic asserit, ille neget, quod unus dat, alter tollat? Tum verò possis dicere, longè miseriorem conditionem eorum, quibus his cum Pacificatoribus, seu verius Vertumnis, tam à tot annis fuerit colluctandum! Tu, ô Amice, verum esse utrumque crede, nec aliter hactenùs hanc tractatuum fabulam fuisse actam, quam ut, quod hodie placeret, cras displiceret, quod hic fateretur, ille inficiaretur. Sed iam satis huic loco immorati, procedamus in pace ad ulteriora.

Subdit itaque Amicus tuus: *Non opus est Electoris* Saxoniæ, *& Sigismundi Marchionis Brandeburgici tractatus cum Suecis repetere: Nec quibus vicissitudinibus Franciscus* Albertus, *Iulius* Henricus, *& Franciscus Carolus Duces Lavvenburgici, tum Augustus Brunsuicensis diu circumducti, tandem præ tædio rem deseruere. Nota iam tibi sunt ista ludibria.* Hoc opinor vult dicere, quod Memesius p. 3. suæ Epistolæ sub Num. 3. appositæ: *Austriacos negotium per tot Mediatores transmittendo id duntaxat promisum voluisse, ne illi per varias manus erranti, nouamque formam subinde induenti, certus aliquis modus, finisq; posset imponi.* At dicere, non debebat, si memor sui esse volebat, paulò ante professi, *se ante hac,* (vtique ex actis Tractatum Hâburgensem antecedentibus) *ferè opinatum esse Regna* (Galliæ & Succię) *pacis odio moras nectere.* Atqui hunc tractatum illis iam memoratis omnibus posteriorem fuisse certum est; quomodo ergo ex iisdem præmissis contraria prorsùs inferri consequentia! Nec ipse sibi, nec ratio constat. CÆSAR, pace cum Serenissimo Electore Saxoniæ 30. Maij Anno 1635. Pragæ coucluså, eandem & in articulis illius conuentionis publicè coronis aduersariis, & mox priuatim coronæ Sueciæ, siue eius Cancellario Oxenstirnio, qui tum in ipså Saxoniå exercitum habebat, per dictum Electorem obtulit: Abiit inde Oxenstirnius (sive quod persona Electoris nõ placeret, siue aliud causatus) VVismariam in Ducatum Megapolitanum concedens. Prosecutus abeuntem Cæsar, per ipsummet Ducem Megapolitanum, ad tractatus inuitandum, curauit. Nullo vtrobiuis effectu? quæ culpa in hoc Cæsaris? Cum inde quoque discessisset Oxenstirnius vela in Sueciam faciens, intellectumq; esset (Foppio ab Aisema eå de re ad Cæsarem referente) eundem à tractatu cum Serenissimo Electore Brãdeburgico ineundo non abhorrere: non intermisit Cæsar, quin quasi fugienti insisteret, eumque delegaret Mediatorem, qui illi & ex personå suå acceptior, & loco ipso esset vicinior. Igitur etiam per hunc Electorem siue eius subdelegatum Marchionem Sigismundum de pace agi cœptum. Ac ut Cæsar nihil, quod ad pacem conferre posset, omitteret, pendente adhuc isthoc tractatu, etiam Regis Daniæ interpositionem libenter & meritò admisit. Nec Ducibus Lavvẽburgensibus subinde se se offerentibus copiam exercendæ in eo industriæ

ſtriæ ſuæ negauit. Quid hinc inferunt aduerſarii? Pacem à Cæſare quæſitam non fuiſſe? Prorſus inconcinne! Vt ſi quis illum, qui vbiuis, & per plures amicos & pararios, & per obuium quemuis amatam nolentem ambiat, repulſam dediſſe, & non accepiſſe contendat. Et tanta profectò eorundem aduerſariorum eſt procacitas, vt in his ſibi, quàm rationi ipſimet plus concedi æquum exiſtiment. Iam tibi, O Amice, paulatim, vt opinor, pateſcit, vnde ludibria proficiſcantur.

Quid iam poſtea amicus tuus ? *Id ſaltem*, ait, *probè notari conuenit, quod cum ante paucos annos Comes Curtius Vicecancellarius Imperii magno cum rumore tractandæ pacis Vienna in Saxoniam mitteretur, is quidem Legatis Regnorum & Mediatoris abſolutam tractandi poteſtatem oſtenderit, at vbi ad rem ventum eſſet, tractatu vix tentato, Viennam reuerſus, ibique amicis (Principibus viris) nimis proterum eius abitum exprobrantibus, ingenuè faſſus eſt, nulla fuiſſe ſe inſtructione munitum.*

Cognoſce nebulam Suecicam, ſiue Finlandicam ſtudio ad fallendum obiectam! Fuit omninò ſecundum in inferiores illas oras miſſus Procancellarius Imperii Comes Curtius: Primum anno 1637. ac iterum anno 1638. priore quidem legatione ſuâ, ad Electores Saxoniæ, Brandeburgicũ, inde ad caſtra Cæſarea prorſus ad alia, quàm hoſce tractatus legatus, (tractabantur enim tum temporis præliminaria pacis inter ſubdelegatum Marchionem Sigiſmundum, & Stenonem Bilke, & quidem ex concluſo Electorali Ratisbonenſi de Anno 1636. Quo tempore negat Procancellarius Comes Curtius ſe vllam plenipotentiam Sereniſſimo Regi Mediatori, eiuſue, vel Coronarum miniſtris oſtendiſſe, vel per alium oſtendi curaſſe, necdum vt rumorem de pace tractanda ipſi excitarit. At idem ſe poſteriore legatione non modò mox 25. Martii Anno 1638. plenipotentiam ſuam Saluio edendam curâſſe, & tractatus ipſos aggreſſum eſſe; ſed iiſdem, ad 14. vſque Maij ſequentis anni ibidem ſubſiſtentem, tamdiu operam dediſſe dicit, donec, Saluio ab eo, quod poſt ſolenne ex Sueciâ ipſa ad ſplendidam à Sereniſſimo Rege Mediatore eò inſtitutam legationem reportatum reſponſum, interueniente ipſiuſmet Regis Mediatoris authoritate, ad Saluorum conductuum formâ ſemel placuerat recedente, ac neque Sereniſſimi Regis Mediatoris quantumuis grauibus admonitionibus locum dante, re ipſâ patuit, nec ſtabile quicquam nec vtiliter cum ipſo tranſigi, tractariue poſſe. prout ex litteris tàm ipſius Saluii ad Cancellarium Danicum, quam ipſiuſmet Sereniſſimi Regis Mediatoris ad Cæſarem, & reſpõſo ad eaſdem Cæſareo: ac demum ex ſubſecutis eiuſdem Sereniſſimi Regis Mediatoris ad eundem Saluium litteris ſub Num. 4. 5. 6. 7. appoſitis manifeſtum euadit. Ex quibus Amicum tuum, O Amice, falſi redarguas aſſerentem, quod Procancellarius Imperij tractatu vix tẽtato inde abierit.

Pergit deinde Amicus tuus, *& è contra*, inquit, *ſucceſſor eius* (Curtii) Luzzo-

Luzzovius mandata quidem cum solo Legato Suecico Salvio agēdi principio attulit, sed nullā omninò pleni potentiā, prout intercepta ipsius instructio, quibus artibus requirendæ potestatis defectum excusaret, edocuit. Acceptâ demum potestate cum utroque tractandi prohibitus est cum legato Gallico, nisi mediante Suecico, congredi, quasi Suecia inter fœderatam Galliam, & hostem utriusque Cæsarem potuisset ullo modo agere Mediatricem. Negotio tamen per hos gradus diu protracto, postquam tandem egrè Veniam impetrasset cum utroque coniunctim agendi; Voluit inprimis, ut sine scriptis cuncta peragerentur, quod sibi quidem perinde fuisse testantur legati Regnorum, nisi toties elusi necessarium duxissent, scripto transigere ut & Regna obligari velle docerent, & dubiam alterius partis fidem tandem obligarent.

De hoc toto diversis intertexto fallaciis syrmate tu, Amice, breviter sic accipe. Luzzovium, cùm Hamburgū mitteretur, habuisse principio in mandatis explorare animum Salvii, an seriò in pacis tractatus intenderet? Et mox cum Salvio de serio studio suo asserenti credidisset, accepisse etiam plenipotentiam in patenti forma de eâre cum eodem agendi, nullâ factâ de Gallis mentione, eo, quod quæ ad illos pertinebant, Coloniæ, ubi iam annos Legati Gallici, à Legato & Nunciis Apostolicis, & plenipotentiariis tàm Cæsaris, quam Regis Catholici expectabantur, erant tractanda. Accidit subinde, ut cum Cæsari in Comitiis Ratisbonensibus fuisset propositum, malle Coronas adversarias Monasterii & Osnaburgæ, quam Coloniæ & Lubecæ his tractatibus vacare: isque assensum in hoc suum præbuisset: Et iam id solùm superesset, ut de die inchoandis tractatibus, atque educendo ex Civitate Osnabrugensi præsidio Suecico (quo nimirum par utrobique esset securitatis ratio) statueretur, (nam & de salvis conductibus iam ante convenerat;) Relatumque Maiestati suæ à Luzzovio fuisset, nolle Salvium, quoad hæc concludere, nisi simul de iisdem cum Memesio, quoad Coronam Galliæ transigeretur; facultatem etiam cum hoc de die solummodo agendi Luzzovio impertitam fuisse, eâ circumscriptam lege, quam ratio ipsa, ne irriti essent tractatus, postulabat videlicet, ne ageret, nisi prius ab illo pro ministro & Residente Cæsareo agnitus & habitus.

De his omnibus, ut plena (quod refert) tibi, O Amice, fiat Fides, exemplum plenipotentiæ Luzzovio datæ, tùm rescriptorū huc pertinentium inter acta huius causæ hic sub Num. 8. 9. 11. tibi exhibeo.

Iam ergo quid vitii habet, rogo, si Cæsar, antequam Luzzovio plenipotentiam tam amplam transmitteret, exploratum habere voluit, an Salvius seriò ad hos tractat⁹ intēderet, necne? Si, quæ Coloniæ tractari placuerat, his Suecici, misceri, vel confundi noluit? Si, postquam brevi manu etiam hoc, quod supererat, cum Gallis confieri posse spes alluxit, conficiendi facultatem concessit: Etsi Luzzovius, cùm à Memesio pro Ministro Cæsareo non agnosceretur, viam rimatus per Salvium, id quæsivit, ut vitato illo Scopulo, ad scopum, ipsum Cæsareæ Maiestatis, id est, dici nominationem

nem

nem pervenire? Et, si, cùm id se commodissimè omissâ scripturâ (quæ in eandem offensionem incursura videbatur) consecuturum censeret, ut de re ipsâ coram Mediatore conveniretur, desideravit? Non hæc fugientis, sed omni studio prosequentis tractatus pacis clarissima sunt indicia, imò irrefragabiles probationes. Quibus indignum illud in partem Austriacam coniectum convitium, quo eius in dubium fides vocatur, solidè refellitur. Nec sanè Luzzouius, præter mandata sua de compluribus aliis rebus pactus, passusque præterea, non tantum Serenissimum Regem Daniæ quoad titulum Tutricis filii, pupilli Ducis Sabaudiæ, & Statuum eius Regentis Ducissæ viduæ concedendum expromittere; sed & schedam loco iustæ formæ conventionis, citra obtentionem debiti sibi, tanquam ministro Cæsareo, tituli, ab Aduersario obtrudi, vllâ aliâ re magis excusandus est, quàm quod de voluntate in pacem Cæsaris certus, eum quiduis (quatenus Saluâ dignitate posset) facilè concessurum confidebat; in hoc tamen falsus, quod non dato sibi titulo Ministri Cæsarei, Cæsari nihilominus in hac conuentione suam dignitatem constare posse existimabat. Ex quibus an de odio, vel studio pacis gẽtis Austriacæ inferatur, tu *Amice*, iudica.

Prosequitur hinc narrationem suam Amicus tuus: *Itaq*, ait, *interuẽtu Domini Langermanni Iuricosnsulti, Decani Hamburg: Consiliarii Regis Daniæ, eiusque tanquam Mediatoris ad hunc actum fiducia ad vnum quemque nostrûm datis litteris Deputati, postquam ille varus hinc inde difficultatibus componendis diu multumque operam nauasset, conuentum est tandem in instrumentum, cuius tenor hic adiunctus est, sub littera A.*

Libet hic mirari. Primò miram ingenij velocitatem nostri narratoris à principio ad finem tractatuum uno saltu transilientis, ac intermedios tractatus nomine duntaxat variarum difficultatum, quibus componendis Dominus Langermannus operam diu multumque nauârit, quasi levi plantâ vix attingentis. Secundò, quid sit, quod cum formas conventionis tàm Cæsareo-Gallicæ, quàm Cæsareo-Suecicæ hîc à me sub Num. 20. & 21. recensitas producat: è contra Suecico-Cæsaream ac Gallico-Cæsaream à me hic sub Num. 22. & 23. adnumeratas non producat? Tertiò quòd cum idem Memesius expromissionem, quoad ratihabitionem Hispanicam, & titulum Ducissæ Sabaudiæ dandum factâ sub Num. 15. non celet, celet tamen hactenus plenipotentiam tàm suam, quàm Luzzovij: Quinimò nec Salvius, tametsi Luzzouij plenipotentiam infra apponere se simulet, eam usquam faciat apparere. De his omnibus, quo animo quidque omissum fuerit, ex ijs, quæ mox deducturus sum, perspicuè patebit. Hic satis sit, monuisse, acta non bonâ fide, sed manca & mutila fuisse edita.

Pergit hic referre tuus Amicus: *Vt huius transactionis cum iam dies 25. Februarii insinuandis ratihabitionibus, & Salvis conductib⁹ commutandis destinata*

ſtinata veniſſet, Nos Legati Regnorum ratihabitiones noſtrorum Principalium & Salvos conductus omnes, in termino, ſuetaque ſummis Imperiis formâ produximus. Cæſareus autem, cum ſperaretur ex ſua parte optatum negotio finem impoſiturus, hinc revocatur, nulla mentione factâ ullius Cæſareæ ratihabitionis. Octiduo tamen poſt dictum terminum, Dominus Langermannus oſtendit Nobis exemplar cuiuſdam Epiſtolæ (ut videre eſt ſub lit. B.) ab Imperatore ad Regem Daniæ per Comitem ab Auerſperg Luzzouio ſubſtitutum miſſæ, requirens, ut etiamſi nolit Imperator dictum tractatum, prout optandum fuiſſet, ratum habere, à propoſito tamen pio, aliiſque mediis promovendæ pacis non deſiſteremus.

Vbinam aduerſarij ratihábitiones ſuas & Salvos conductus produxerint; non exprimitur: An in termino, ſuetâq; ſummis Imperijs formâ produxerint; in medio relinquitur: hoc tantum dicitur, de eo Imperatori non niſi menſe Iulio poſt, fide factâ à Sereniſſimo Rege Daniæ legitimè conſtitiſſe. Quando & quâ de causâ Luzzouius fuerit reuocatus, nihil ad rem, cum ſufficiat, illi in tempore Comitem Auerſpergium & ſubſtitutum fuiſſe & comparuiſſe & epiſtolam Imperatoris declaratoriam ſuper præliminaribus † Regi Mediatori exhibuiſſe. Quod verò non niſi octiduo poſt lapſum terminum adverſarijs à Decano Langermanno eius exemplar ſolummodò, idque minimè authenticum, & ſine ullis à Rege ſuo litteris fiduciæ oſtenſum fuerit; Videant aduerſarij ipſi, quam cauſam, quē incuſandi habeāt!

† ſub a 25.

Nugæ ſunt hæ, & inanes conatus, nodum in ſcirpo quærentium! Nec valde laborandum, quid Decanus Langermannus ad aduerſarios retulerit, aut requiſiuerit: Cùm quid fieri, referrique & requiri Cæſar voluerit, & debuerit ex epiſtolâ eiuſdem clarè liqueat.

Et cum in arcem huius cauſæ iam aſcenderimus, relatis ijs, ex quibus Adverſarij contendunt, conuentioni Hamburgenſi à Cæſare & Rege Catholico non fuiſſe, uti par fuerit, ſatisfactum, ex eo inferentes, Auſtriacos adhuc paci bellum præferre; ut, quam infirmis hæc ipſorum imputatio nitatur fundamentis, liquidius pateat, non inſiſtam iam vlterius ſingulis verbis vel periodis epiſtolæ ab Amico ad te ſcriptæ refellendis, cum ne ſim æquo longior, tum ut ne ipſe ſecum ſolo mihi negocium eſſe putet; Sed quatuor hæc ordine deducam. Primò, nec Cæſarem, nec Regem Catholicum fuiſſe ſimpliciter obligatos ad ratihabendam totam illam, de qua agitur, conuentionem. Secundò, imò iuſtiſſimas, graviſſimaſque eam non ratihabendi cauſas habuiſſe. Ac, tertiò ratihabuiſſe tamen, quantum ſatis erat, & in tempore impleviſſe. Quartò, ſi quâ in re non exactè adverſariorum votis reſponderint, id eiuſmodi eſſe, quod non retardando, ſed magis promovendo pacis operi conducat, nec, ſi æquâ ratione agatur, exprobrari debeat.

Dico ergo primò non fuiſſe Cæſarem & Regem Catholicum ſimpliciter obligatos ad ratihabendam totam prædictam conventionem: Idque

Idque ex duplici capite: Primò, quia Consiliarius Luzzovius nec habuerit ad omnia in ea contenta sufficiens mandatum, & id ipsum publicè testatus sit. Secundò, quia nec Claudius de Mesmes se ad eum tractatum legitimârit, ac de eodem ipse quoque publicam extare protestationem voluerit.

Ac de Luzzovio quidem, de quo priore loco asserui, ut quomodo se res habeat, percipias, advertere & observare te velim.

Primò annis aliquot antequam tractatus hic noster Hamburgi institueretur, ita inter Coronas socias Franciæ & Sueciæ (non repugnante Cæsare) conventum fuisse, ut simul eodem tempore duobus locis, Coloniæ videlicet & Lubecæ sivè Hamburgi de pace; ac illîc quidem de his, quæ tàm Imperatori, quam Regi Catholico cum Rege Franciæ controversiæ intercedunt: hîc verò de iis duntaxat, quæ Imperatorem & Reginam, Regnumque Sueciæ concernunt, tractatus institueretur; Mediatoribus ad Coloniensem tractatum Summo Pontifice: Ad Lubecensem verò Rege Daniæ, delectis; Et hac insuper lege, ut primas in tractatu illo teneret Corona Franciæ, assistente eidem ex parte Coronæ Sueciæ Residente: Sicut vicissim Lubecensi tractatui, in quo primas sibi Corona Sueciæ vindicat, ex parte Coronæ Franciæ Residens adesse permittebatur.

Secundò, quòd cùm Imperator & Rex Catholicus sub initium anni 1637. Legatos suos plenis mandatis quoad omnia instructos misissent Coloniam; Rex Franciæ, quantumvis gravibus & frequentibus Mediatoris Pontificis, eiusque Legatorum & Nunciorum pulsatus adhortationibus ac flagitationibus, suos eòdẽ mittere detractârit, hoc prætextu, quod antequam sibi, & suis colligatis de Salvis conductibus ad id necessariis satisfieret, mittere non posset nec vellet.

Tertiò, venisse tamen Hamburgum Claudium de Mesmes Comitem d' Auaux ab eodem Rege (pacis tractandæ, an potius belli fovendi, & incendendi causâ missum, tuum ex post dicendis esto iudicium) certè nullis Salvi conductus litteris à Cæsare munitum, eoque magis suspectum, quod, si Regi ipsius de pace tractare animus erat, breviore utique viâ, sumtuque & periculo minore Coloniam, qui locus componendis ijs, quæ Coronam illam concernunt, destinatus erat, mittere poterat.

Quartò, egisse nihilominùs Luzzovium Hamburgi non tantùm cùm Salvio legato Suecico, verùm etiam cum Memesio Missionario Gallico: idque duplici nomine, Imperatorio videlicet & Regis Catholici.

His positis non equidem, quin Luzzovius ad tractandum cum legato Suecico sufficienti mandato fuerit instructus, admodùm negârim; Hoc nego, illud mandatum ad ea, quæ cum Memesio sunt tractata, extendi posse vel debere. Quod nisi ita se habet,

cedò, cur idem Memesius cùm epistolam Salvii ad te scriptam, cæteraque in eâ designata ederet, apographum mandati Luzzoviani contra ae promittitur, non ediderit, ut certò de assertione ipsius potuisset cognosci? Nulla videlicet alia de causa, quàm quòd ex eo minùs quàm ipse volebat, probari; imò de insufficientia eiusdem mandati, quoad pleraque cùm ipso acta, apparere sciebat. simulans autem illud se apponere & non apponens, id nimirùm, ut tibi & bonis viris, imponeret, egit.

At enim non posse negari, inquies, quin Luzzovio etiam cum Memesio agendi fuerit potestas? De quo, ut non aliundè, certè ex epistolâ Ordinum ac Statuum Imperii ad Serenissimam Reginam & Regnum Sueciæ, 4. Iulii 1641. missa appareat! Respondeo ne id quidem me negare: hoc negare, talem fuisse eam potestatem, qualis perperàm ac subdolè à Salvio æquè ac Memesio allegatur, sed qualis à dictis Ordinibus & Statibus Imperii rectè & fideliter exprimitur, nempè ad agendum de tempore solummodò & loco tractatuum.; Iterùm ergo Memesium ingenio hic uti suo & imponere, quando in præambulo ad marginales notas Epistolæ ad Regem Daniæ subnexas asserit: *Ministros Cæsareos posterioribus litteris Ordinum ac Statuum Imperii ad dictam Reginam inseri curasse, legatum Luzzovium sufficientissimè iam esse instructum, mandatis & potestate de præliminaribus Pacis generalis cum legatis Gallico Sueciceque, qui Hamburgi essent, transigendi.* Nisi fortè idem Memesius velit (quod Salvâ conventione non potest, nec debet dicere) nihil nisi de loco & tempore fuisse transigendum!

De hac Adversarii fraudulentiâ, ut certò tibi constet, cedo paragraphum huc pertinentem ex dicta epistola fideliter extractum, sub Num. 10.

Ex quibus hoc iam satis, ut opinor, liquido consequitur, quicquid cum Memesio ultra, quàm quod vel citato superiùs rescripto Cæsareo, vel etiam Epistola Ordinum & Statuum Imperii exprimitur, à Luzzovio tractatum, transactumque, citra ullius mandati authoritatem actum fuisse, atque idcircò nullam, quoad Imperatorem, vel Regem Catholicum obligandi vim habuisse.

In peculiari omninò ratione & causa est id, quod de titulo Tutricis pupilli Ducis Sabaudiæ & Statuum eius Regentis, Ducissæ Viduæ Matri eiusdem dando fuit insertum, eo, quod non modo mandatum de hoc à Cæsare nullum, sed contrariam planè declarationem Luzzovius habuerit, deque eo adversariis, cùm aliunde, tùm ex ipsiusmet Luzzovii confessione constiterit. Rem sicuti gesta est paucis perdisce.

Cùm utrique parti Adversariorum iam tum quoad novam locorum tractatibus instituendis denominatorũ concessionem, tum etiam quoad cæteros salvos conductus à Cæsare esset satisfactum, Rex Galliæ de Salvo conducto dictæ Ducissæ Sabaudiæ cum titulo paulò ante expresso concedendo, apud Deputatos Cæsareos Coloniæ commorantes per Oratorem Venetum in Gallia residentem urgere cœpit: De quo Cæsar, ubi ex dictis Deputatis

putatis suis intellexit, in eum, qui rescripto eiusdem 25. Septembris anni 1641. continetur, sensum, respondit: Elargiri se dictæ Ducissæ eiusmodi litteras passus, quarum præsidio tuto in loco conventus comparere, & de rebus suis possit agere: Addita ratione, cur de titulo petito Tutricis & Regentis non possit concedere, eò, quod ea res potiùs ad ipsos tractatus in causâ principali, quā ad hæc præliminaria pertineat: ac præterea quia pro nulla alia vidua, (ut puta Mantuana, vel Hassiaca) eiusmodi aliquid postulatum fuerit. De quo ut Oratorem Venetum, quantocyus certiorem facerent, Maiestas sua simul iubebat. Et cum eodem tempore ad eandem à Luzzovio hanc rem æquè à Memesio Hamburgi premi, ac præterea, quæ difficultas sibi quoad legitimationem suam ratione Regis Catholici ibidem obiiceretur, fuisset relatum; continuo & huic, quoad Sabaudam quidem in eandem sententiam; quoad legitimationem verò pro Rege Catholico ita rescripsit, ut suam pro eo fideiussionem interponi ab illo vellet: Quorum utriusque rescripti exempla exhibentur in actis.

†sub. n. 12. 13. † Et ne oscitanter Cæsarem de titulo pro Ducissâ Sabaudiæ petito cogitasse existimes, videbis ex litteris eiusdē de 2. ac 18. Decembris (quando tractatus maximè fervebat) hic sub Nū. 16. 17. ac prioribus quidem ad Deputatos suos Coloniæ commorantes; Posterioribus autem ad Luzzovium datis de hac voluntate suâ enixè declarasse. Ac neque Luzzovium suo hic muneri defuisse, ex apographo expromissionis à Serenissimo Rege Daniæ factæ clarum sit, ubi is, cum Memesium ne illi quidem resolutioni Cæsareæ acquiescere, ac ne valdè quidem ad finem præliminarium properare, sed Titulum Tutricis & Regentis pro Ducissâ Sabaudiæ, simulque plenipotentiam sive ratihabitionem Hispanicam, ante omnia urgere intellexisset, fiduciâ perspecti iam pridem in pacem studij Maiestatis Cæsareæ, ac commiseratione publicarū calamitatū induci se passus est, ad expromittendum, fore ut de utroque postulato Memesio satisfiat: prout in ipsâ expromissionis ab Adversario editâ (Cæsari nunquam ante visâ) formâ Num. 15. videre est. Ex quibus utrumque horum convincitur, & requisivisse Memesium, quoad utrumque prælibatorum postulatorum ampliorem in Luzzovio potestatem; Et cum ea non afferretur, verbo non Luzzovii tractantis, sed Serenissimi Regis Mediatoris expromittētis acquievisse. Quo nescio quid ad hoc, ut Luzzovium sufficienti mandato instructum non fuisse doceatur, clarius dici, vel afferri possit? At enim cum & utriusque horum postulatorum, & totius tractatus ipsi adversarii hanc velint esse conditionem, ut nisi omnibus concessis & adimpletis, nihil actum esse censeatur; Et expromissio illa à Serenissimo Rege Daniæ sponte interposita in Cæsarem & Regem Catholicum, nullam nisi quam ipsi voluerint, ratihabendi obligationem inducant, vides, Amice, in arbitrio fuisse Cæsaris & Regis Catholici, an & quate-

nus conventionem Hamburgensem vellent ratihabere!

Neque hic mihi quisquam hoc nimium urgeat: Non potuisse, nec debuisse Cæsarem & Regem Catholicum per communis humanitatis leges aliter facere, quàm ratihabendo id, quod ab Amico & Mediatore Rege promissum fuerat, fidem eiusdem liberare. Scio equidem, quid communis humanitatis officium, quid Amicitiæ inter Reges ac Principes ratio postulet; Sed nec illud ignoro, vel quemquam ignorare opinor, eiusmodi esse ex illo officio natam obligationem, quæ sic moveat; ne cogat; quæ stimulos addat decoris; non iustitiæ necessitatem imponat. Id si omnes alios non nescire æquum, an Mediatorem Regem, an Cæsarem & Regem Catholicum ignorare putare fas est? Ac ut tu, Amice, de hoc ne dubites, lege, amabo, duas epistolas eâ super re à sæpedicto Serenissimo Rege Daniæ ad Cæsarem, ac priorem quidem aliquantò antequam tractatus Hamburgensis signaretur Num 14. alteram, Num. 18. paulò post scriptam. Itanè ille cùm Cæsare agit, ut ad ratihabendam expromissionem suam illum obligatum velit? Minimè. Amicè requirit: rationes, ut persuadeat, explicat; ex lege, vel iure nusquam postulat: neutiquam id omissurus, si præcisam illam obligandi vim verbo, vel expromissioni suæ inesse fuisset arbitratus. Et sanè si Cæsar expromissioni illi (quod potuit) non detulisset, quid inde incommodi timere poterat? Maiorem ne aliquam æquissimi iuxta ac sapientissimi Regis Mediatoris offensionem quam timuit Salvius, quando prima Octobris Anni 1638. dato consensu suo, ut Salvi conductus pro fœderatis per Germaniam cum adiectione clausulæ (nondum reconciliatis) de qua iam annos disputatum fuerat, expedirentur, quinque post septimanis, eundem consensum retrectavit; cum res iam non amplius integra, sed arbitrio Regis Mediatoris interposito ab eodem ad Cæsarem per litteras delata fuisset? quâ mox acceptatâ Cæsar Salvos conductus in ea, quâ Serenissimus Mediator censuerat, formâ expeditos cidem transmisit? Nisi fortè levius quis existimet, iudicium Regis contemnere, quàm promissionem insuper habere, quorum illud parte volente, & assentiente dictum; hæc nesciente fuerit facta; præsertim cum Adversarios quidem exempli in Mediatoris evacuanda authoritate à se introducti novitas accusaret, Cæsarem & Regem Catholicum excusaret? Rem ut gesta fuit ex epistolarum, O Amice, superiùs sub Num. 4. 5. 6. citatarum exemplis tam Salvij ad Cancellarium Danicum quàm Serenissimi Regis Mediatoris ad Cæsarem, & Cæsarei ad eundem responsi, cognosce. De similibus ac pluribus, quibus Galli à cœpto tractatuum negotio usi sunt ludificationibus nihil dico. Et cum ex ijs, quæ dicta sunt, satis pateat, non fuisse simpliciter obligatos Imperatorem & Regem Catholicum ad ratihabendam Hamburgensem conventionem ob defectum mandati ex parte sui Mandatarij; Iam ad alterum caput transeo, quo osten-

dendum erat, neque Memesium ad eam se satis legitimasse.

Hic Memesius nota marg: 10. Altâ voce clamans auditur: *Plusquam triennium est, quod Legatus Gallicus Procancellario Curtio idem de pace negocium Hamburgi tractanti (cum id exposceret) ministrisque Regis Daniæ, mandatum, quod habebat, Procuratorium edidit quo ipsi potestas facta est transigendi, & de pacis preparatoriis & de pace ipsa.*

Ita nimirùm asserit Memesius. Sed è contra vocem audio Procancellarij Curtij constanter & sanctè negantis, unquam se mandatum eiusmodi expoposcisse, vel vidisse. Vtri potius credemus, illine, quem iam superius secundùm vanitatis manifestum deprehendimus? an huic, quem hactenus illibatæ fidei tuetur fama?

Mirum autem videtur, cum Memesius mandatum illud haberet, cur potiùs Procancellario Curtio (nunquam ad tractatum cum ipso congresso, adeoque ante triennium) quam Luzzovio, in ipsa arena & conflictu disceptationis huius ostendere voluerit? Poposcisse illum negabit; Sed quin id iam dudum non Auerspergius tantùm, sed universi Christiani Orbis & expectatio & expostulatio flagitet, negare non poterit; Quæro igitur cur adhuc celetur, & non potiùs suspicio ex pluribus gravissimis rationibus contra asserentem concepta ex animis hominum deleatur? Quin aliquid hic lateat doli, vix dubium esse potest, &, si diligenter investigemus, vel mendacium, vel monstrum prodibit.

Meministi, O Amice, me adverte-re superius, Regem Franciæ, quantumvis multis & gravibus Legatorū & Nunciorum Pontificiorum, adeoque ipsius Summi Pontificis requisitum adhortationibus nunquam induci potuisse, ut aliquem ex suis mitteret Coloniam, locum rebus Gallicis tractandis delectum, vel ad ipsa præliminaria componenda, nisi priùs omnibus & singulis Salvis conductibus in formâ præscriptâ pro suis fœderatis impetratis.

Meministi etiam hoc observari velle, quòd Memesius nullo ab Imperatore accepto Salvo conductu Hamburgum perrexerit; (an obrepserit?) Cuiusnam, exquiro, rei procurandæ causâ? Vel dicat quod verum est; belli non Pacis tractandæ ergò; vel fateatur, Regem suum, cum causam quare Coloniam ad tractanda præliminaria non mitteret, apud Pontificem dicebat, non veram, sed (quod de integritate Regia nemo præsumpserit) falsam attulisse, sive, ut clariùs dicam, Pōtifici, Cæsari, Regibus imposuisse & adhuc imponere.

Hic si Regem, quam semet, prodere maluerit, insto & quæro, quale mandatum habere potuerit? Ad tractandum ne cum Rege Hungariæ, an cum Imperatore sive eius Ministris? Neutrum dicere poterit, quin doli, vel mendacii teneatur. Si prius illud dixerit, perinde faciet, ac si mandatum se nullum habuisse fateatur, cum hactenus sint paria, mandatum nullum, vel non sufficiens habere; clarum autem sit, tale mandatum ad res Imperii, de quibus agendum erat, tractandum, invalidum, eoque nomine, ac vel maximè, quia illo Maie-

stas

ſtas Imperii quam graviſſimè lædebatur, acceptandum non fuiſſe. Si elegerit poſterius: iam nullam cauſam dicet, cur non in eâdem formâ, quâ Legatus Salvius cum Luzzovio contraxerit & ſubſcripſerit, cum eius rei alia à Memeſio ratio non allegetur, nec allegari poſſit, quam hæc, quòd Rex ſuus, niſi priùs præliminaribus omnibus compoſitis, & executioni mandatis, Imperatorem pro tali nollet agnoſcere; Caſura autem fuerit, & neceſſariò cadere debuerit cauſa, vel prætextus iſte, edito (quòd ſolet, & neceſſe erat) tali mandato, & parti adverſæ communicato.

Habes opinor, Amice optime, ſatis argumentorum ad credendum, quod Memeſius vel nullo, vel non ſufficienti mandato ad ea de quibus actum eſt, tranſigendum; fuerit inſtructus: Sed quid opus erat iſtis, cùm publicè propria ipſius extet confeſſio, quæ nullâ tergiverſatione, nullâ arte eludi poteſt? Lege, O Amice, hic ſub Numero 24. Epiſtolam eiusdem prima Ianuarii, anni 1642. ad Sereniſſimum Regem Daniæ datam, videbis ubi fateatur palam, ſe præter mandata feciſſe: In quo, vel ubi? parum refert, cum, qui: fecerit, revocare confeſſionem ſuam non poſſ:t,

De præfixione diei, ait, id ſe ſolum intellexiſſe; At eiusmodi id eſt, de quo vel ſolo, vel maximè tractandum ſupererat, cum ut ipſe alibi obiicit, de loci iam ante fuerit conventum, & receſſu Ratiſbonenſium Comitiorum proviſum.

Sed eâdem epiſtolâ id quoque expreſsè contineri, ait, Regem Chriſtianiſſimum, quæ ſuarum partium in tractatu iſto futura eſſent, impleturum. An tu, Memeſi, hoc tibi credi vis toties iam vanitatis convicto, an Regi tuo: Si Rex id diceret, vix eſt, ut crederem, non quod illum (bonum apud me & probum) pro vano habeam, ſed quod eundem à tuis, & tui ſimilium ſupplantationibus minimè exemptum ſciam: Et tu vis, ut id Regi, cum non dicat, credam!

Finio hanc partem & concludo cum neque Luzzovius, neque Memeſius ſufficientibus ad ſæpe dictá conventionem inſtructi mandatis fuerint, non fuiſſe Cæſarem vel Regem Catholicum obligatos ſimpliciter ad id, quod actum fuerat, ratificandum.

Aio autem præterea (quæ ſecunda pars erat propoſitionis meæ) cōplures utrumque & graviſſimas cauſas ac rationes habuiſſe, cur eam ratificare non deberet. In quibus non urgeo, quod ſuus Imperatori titulus non integrè fuerit tributus; Levius eſt hoc, quam ut ob eiuſmodi omiſſionem, quæ properantium ad congreſſum feſtinationi facilè condonari poteſt, votorum publicorum ſpem fruſtrandam, vel diutius differendam exiſtimem. Eâdem facilitate, adverſæ partis vel imperitiæ, vel intempeſtivæ ambitioni, vel flagrantium bellorũ intemperiei remittam, quod in conceptæ conventionis formâ Legatus Succicus ſuam Imperatori Reginam præferre voluerit, cum alioqui neque ipſa, ut opinor, neque Rex Franciæ de præcedentiâ, ſive in litteris, ſive in inceſſu, conſeſſuve cum Cæſare

Cæsare contendat. Maioris longè ponderis, altiorisque considerationis erat, quod minister Gallicus hactenus in suo Maiestati Cæsareæ negando titulo perstabat, ac tametsi privatâ schedâ Num. 19. Hic apposita erga Decanum Langermannum professus esset, nolle se vel Regem suum Imperatori de eo controversiam facere, eundem tamen non tribuebat; Hac ipsâ de causâ in eâ, quâ Legatus Salvius, formâ, cum Luzzovio contrahere & subscribere detrectans; Quodque eo ut summum Cæsaris & Imperij Maiestati impingebatur præiudicium; ita in conventionem ipsam, sicut superius insinuavi, manifestæ nullitatis nota invehebatur, cum eiusdem materia ita comparata esset, ut de ea, nisi cum legitimè electo Imperatore non posset transigi.

Huic istud non levius accedebat, quod ad expromissionem Serenissimi Regis Daniæ de Ducissâ Sabaudiæ, quoad titulum Tutricis & Regentis, insertum conventioni fuerat. Quo minus in id Cæsar consentiret, obstabat cum iustitiæ ratio, quippè qui ante annos non multos, cum Ducissa Vidua citata & aliquoties monita, nec iusta & solennia ad tutelam, ac administrationem prætensam præstare, nec à Partibus infestorum Cæsaris & Imperij hostium recedere voluisset, re in consilio suo Imperiali Aulico diligenter ac maturè deliberatâ Tutelam pupilli Ducis & administrationem eiusdem Statuum in patruos ipsius tanquam proximos agnatos, Mauritium videlicet, tùm temporis adhuc Cardinalem, ac Thomam fratres Principes à Sabaudia ritè contulerat, liberatis à iuramento Ducissæ Viduæ præstito subditis, ac solennibus super hac re litteris publicatis; Tum ista etiam gravissima cōsideratio politica, quod cum modò nominatos Principes diu multumque à Rege Galliæ sollicitatos ad secessionem à Domo Austriacâ faciendam spectare non ignoraret, valdè profectò ac meritò verebatur, ne ratificādo conventionem Principibus Vasallis suis optimè de se & Domo sua meritis tàm præiudicialem, non hos solùm in præcipitium certum impelleret, sed & Ducissam Viduam refractariam in suâ obstinatione confirmaret, exemplo ad famam quaqua versum, & ad omnes tàm suos quàm adversariorum socios, ipsamque adeò partem adversam longè periculosiore; cum inde coniectura facienda esset, quid pars à parte, vel huius, illiusve socij à suis quique Principalibus sperare possent.

Sanè hæc ipsa, de quibus iam memoravi, incommoda Imperator iam longè antè contemplatus, cum primùm hanc pro Ducissa Sabaudiæ prætensionem à Rege Franciæ moveri, cùm per Nuncios Apostolicos, tùm suos Coloniæ commorantes legatos, ad quos huius puncti tractatio propriè pertinebat, tùm ipsum etiam Luzzovium intellexisset, ijsdem, diversis suis, sicuti superius ostensum, diligenter sollicitèque rescripserat, rationes aperiendo, cur in id postulatum & novum & iniquum nec posset, nec vellet consentire. Neque vel Regem Franciæ, vel eius Ministrum

Memesium hæc in utramvis partem proposita vel commoda, vel incommoda, vel ipsa etiam mandata Cæsarea eiusdem Ministris ea super re data fugiebant. Qui proinde (cùm bellum quàm pacem mallent) testati, quanti sua referret, non excidere se suis quoad hanc rem, votis, palam professi fuerant, se nisi obtento hoc postulato suo ad Pacis tractatus non esse venturos; Quàm autem præter spem ipsis accidit, ut eidem Luzzovius subscriberet; tàm non credebant fore, ut id Cæsar, vel Rex Catholicus ratum haberet: Itaque exultare Hamburgi Memesius, nec obscurè suum quasi de solenni reportato trophæo gaudium ferre, cum videret Cæsari & Regi Catholico, vel hunc bolum tàm crudum devorandum, vel bellum ferendum esset; ut ut res caderet, ingentem votorum suorum partem relaturus.

Quid ad hæc Cæsar & Rex Catholicus? Sanè si bellum trahere, Pacis rationes insuper habere constitutum ipsis fuisset, habebant non solum, cur id facerent, causas gravissimas, sed titulum & modum, quo facerent, quàm in Iure fundatum, tam apud omnes æque approbandum, unâ illâ titulos Ducissæ Sabaudiæ concernente particulâ reiectâ, quâ cadente tota conventio concidebat; Quibus illa à Memesio hic nota marginali. 7. De causâ Viduæ Ducissæ Megapolitanæ intentata Syndicatio tàm videlicet formidanda erat, quàm vana vigilantibus dormientiũ insomnia! Sed vicit apud Pacis amantes privatarum rationum respectum, publicæ salutis intuitus; Belli & odiorum causas; Patriæ & Christiani Orbis charitas; Ius & iustitiam unius, vel duorum; commiserationis in multos, imò in universalem omnium calamitatem affectus, bonâ spe fretos fore, ut etiam Principes Sabaudiæ has ipsas considerationes suis Iuribus præponerent.

Fecit ergo id, quod Salvâ Maiestate potuit, & ad rem satis erat, Imperator (de quo tertio loco dicendum erat) videlicet, ut titulum quidem Ducissæ Sabaudiæ concederet, dignum expromissioni Serenissimi Regis Daniæ deferens honorem: Quod de Salvis conductibus, in quibus abundè omnibus ad securitatem æquè suam ac suorum, Nunciorumque, cursorum & litterarum mittendarum provisum erat; deque die tàm iisdem commutandis, quàm congressui auspicando fuerat conventum, ratum haberet: loca quoque iam ante designata iterum acceptaret: Quod de præsidiis educendis, vel reducendis in dicta loca fuerat conventum, approbaret: Peculiares etiam litteras ad supremos armorum suorũ Duces ad maiorem securitatis cautelam daturum se promitteret, fidem, quoad Regem Hispaniæ suam interponens: Nec renuebat, quin eadem securitas hinc inde ad sex

mensses etiam abrupto tractatu praestaretur, declarando super his per epistolam ad Regem Mediatorem voluntatem suam. Quibus datis & confirmatis; nihil, quod ad substantiam praeliminarium pertineret, Caesar desiderari posse, vel debere omninò existimavit; Cum illa, (ipsis adversariis, ac nominatim Legato Salvio ad finem post scripti sui fatente) in tribus his: locis, die, & Salvis conductibus consisteret.

Caetera autem in instrumēto conventionis à tractātibus adiecta, quòd ea vel superflua, vel ābigua, & impertinentia, vel more nostro impossibilia, eoque ipso confirmationis incapacia, ac retardandis, quàm promovendis tractatibus aptiora essent, omittenda potius, vel praetereunda, quàm non necessariâ & periculosa, vel frustratoriâ confirmatione comprobanda Imperator censuit, non modò nullum, eo nomine, improperium, sed summam laudem, (quod ultimo loco demonstrandum supererat) commeritus. Prout ex singulorum, quae in declaratione Caesarea omissa adversarij queruntur, inspectione clarius elucebit.

In Tractatu Hamburgensi §. *Loca: & proximè sequenti*, haec statuuntur; *Durantibus congressibus dictae civitates (puta Monasterium & Osnabruga) Sacramento erga utramque partem soluta ad neutralitatem obligentur: Magistratus autem dato reversali astringatur ad fidelitatem & securitatem toti conventui praestandam, & tractantium res, ac personas, comitatumque Sanctè habendum, & custodiendum.*

Habent ista ut insolitam quandam & planè inusitatam; ita minimè necessariam, quin imò & invidiosam, & in omnes, quotquot supremam in subditos exercent authoritatem, gravis exempli cautelam; ideoque non magis peculiari Caesaris, quàm communi universorum, quorum interest, censurâ expungendam. Et libet sanè mirari, quae ista sit prudentia, credere, eum, qui iuramentum Principi suo praestitum & Salvum conductum ab eo concessum violare non dubitet, religiosè, quod alteri iuraverit servaturum!

Adde quòd cum Civitas Monasteriensis immediatè non Caesari, sed Episcopo sit subiecta, Caesar in tam notabilem mutationem quoad regimen eiusdem, non poterat, nisi eodem Episcopo requisito & consentiente annuere?

Iam istud, quod eidem paragrapho annectitur; *Et, si quid ab eo (Magistratu) pro communi tractatus bono requisitum fuerit, praestet se quidem obsequentem neutrius tamen partis iussa exequatur, nisi ab utroque Legatorum corpore Collegiatim insinuata;* In eosdem ferè incurrit scopulos, nec quam habeat necessitatem facilè percipitur; Quaero enim, quid si illud, quod pro communi tractatus bono requiretur, in fraudem, vel incommodum cedat sive Principis, sive ipsiusmet Civitatis, an etiam tùm civitas se praebebit obsequentem? At hoc, ut faciat, difficulter, praesertim Principe absente, obtinebis. Quod si intelligas, qua-

tenus id citra fraudem, vel incommodum fiat Civitatis; Quid opus iuramento eam ad id obstringi, quod sponte suâ factura est, & quorsum illa operosi moliminis insinuandi necessitas, nisi ad sufflaminandos, non promovendos tractatus?

Huic proximè in conventionis quidem Cæsareo-Suecicæ forma subiicitur hic articulus; *Iura & privilegia Civitatis Osnabrugensis Salva maneant, & templa, scholæ, Curiæ penes Senatum. In cognominem verò Diœcesin neutra belligerantium pars plus Iuris, factive sibi sumat, quam tempore huius contractus habeat*: Qui in formâ Cæsareo-Gallica planè omittitur, hoc ipso, puta, vel superfluus vel iniquus, & tamen à Cæsare etiam in declaratione suâ minimè reiectus.

Articulo deinde imediatè sequenti sancitur: *ut uterque congressus* (sive ut Salvius in P. S. suo accipit) Tractatus *pro uno habeatur* Hoc in quem sensum commodè explicetur, vix reperio, cùm ut personæ rebus tractandis, ita res personis tàm sint inter se diversæ & discrepantes, ut Chimerā quis facilius exstruere, quàm hæc inter se, & in unum coire posse, existimare queat! Quid Reginæ Sueciæ cum Hispania vel Sabaudia? Vel his cum Pomerania & Suecica? Sed & Mediatores ita comparati sunt, ut se in unum colligi non patiantur; Iam pridem hoc testato Pontifice, nolle se in hoc negocio cum Acatholicis quicquam comune habere. Si de locorum unitate id accipis, ut demus, loca tot milliaribus inter se dissita, neque quicquam commune habentia destinatione adversariorum unum fieri, iam dixi, nolle Pontificem vel eius Legatos ullâ ratione in unum cū Acatholicis locū convenire. Sed nec ad tempus sive auspicandi, sive finiendi tractatus, poteris id comodè referre; Non auspicandi; Nam de eo alibi in ipsâ convētione expressè dispositum: Non finiendi; Cum sibi necesse sit, nec Rex Catholicus à parte adversâ; neque hæc ab illis hanc necessitatē imponi sint passuri, quin, si socium à pace ac omnibus æquis conditionibus abhorrere sentiat, absq. eo possit & continuare & finire tractatū; Quando alioqui, nisi id liberū manere debeat, hic articulus partem hanc (Cæsarē videlicet & Regem Catholicum) adigeret ad rati habédū iniquissimum contra se ab Adversariis initū fœdus. Quòd quàm absurdū sit, quis non videt? Vnitatē confusionis hanc fortè aliquis appellabit, ut si quis æra lupinis; grana Zizaniis; & quadrata rotundis miscendo in unum omnia cumulum coniiciat! Non inconcinnè hoc equidem! At reclamabit Pontifex, & se cum Lupinis, vel Zizaniis in unum confundi debere, vel posse negabit.

Quòd si hoc volunt illi nostri Solones, ut eâdem neutralitate uterque locus gaudeat; de eo quoque iam alibi dispositum, & quid habeat incommodi, à me ostensum est.

Si denique parem securitatem pro locis intermediis æque atque ipsis Civitatibus spectant, iam per Salvos conductus sufficienter prospectum erat; Dic quicquid voles non efficies, ut usum aliquem huius Vnitatis necessar

cessarium probes, aut omnibus approbes.

Demùm. §. *Salvi conductus*: placuerat; ut Salvi conductus infra enumerati utrimque omnes intra duos menses à die huius cõventionis commutarentur, & infra §. *Quo facilius*: adiectum: ut valeant Salvi cõductus à quondam Serenissimo Cardinale Infante in formâ suprad. cta expediti; si à Rege Catholico confirmentur & ratihabeantur; Ac tandem *ult*. §. addita promissio, quod tàm ratihabitio tractatus, quàm Salvi conductus Statuto tempore (puta intra duos menses) insinuari debeant; Volunt contrahentes, ut Salvi conductus à quõdam Serenissimo Cardinale Infante expediti confirmentur; At illos cum iam expirassent, quomodo, nisi Cardinale ipso resuscitato à mortuis, vim recuperare, vel confirmari fas erat? Volunt secundò, ut ratihabitio Hispanica intra duos menses adsit? At hoc quidem, nisi Pegasis, vel Triptolemis Nuncijs utaris, possibile non videtur, facto præsertim Hamburgo Viennam ad Cæsarem, (qui pro Rege Catholico caverat;) circuitu? Et si id possibile fuisse contendas, quid opus ratificatione Salvorum conductuum à dicto Cardinale Infante expeditorum, cum eâdem operâ & tempore Salvi conductus à Rege ipso expediti, unà cum ratificatione tractatus adesse potuerint?

Et hæ nimirum sunt celebres illæ nugarum nugæ, quas, quia Cæsar in Epistolâ suâ declaratoria præterierit; sat causæ se habere adversarij putant, cur Christianum orbem hactenus bello internecivo subvertere non cessent, adeoq; Cæsarem & Regẽ Catholicũ non adimpleti contractus publicè reos peragant. Audi vocem Memesii (an impudentiæ?) sub finem Epistolæ ad Serenissimum Regem Daniæ clamantis; *Cæterum pacis animi indicium in Gente Austriaca cùm ne ullum quidem hactenus prodierit*, quin & novissimum hunc tractatum violarit sinè religione, &c. *Ego quid hic ultra in cassum morer non video*; Non erat nempè nec magis idoneus Actor, qui hoc probrum Imperatori Germano, Regi Hispano objiceret, quàm Rex Galliæ; Nec spectatior Advocatus quam Claudius Memesius! Hic scil. in verbis, dictisque; ut ille in factis & pactis religiosus & sanctus! Quis non rideat, qui (ut Monzonica illa & Vervinensia, aliaq; pacta Hispanico-Gallica omittam) meminerit, hæc ab illo, sive illius nomine iactari, qui cũ 1. Octobris Anno 1630. Ratisbonæ in conventu Electorali, præsentibus plerorumque Regum & Principum Christianorum Legatis, per legatum suum Carolum de Leon Brulard, soleñi mandato instructum, & assistentem eiusdem P. Iosephum Capucinum, (ne videlicet religionis quid deesset) inter alia in hæc verba subscriberet: Primo Rex

Christianissimus promittit, quod Romanorum Imperatorem, Sacrum Roman: Imperium, eiusve Status & Ordines, aut Regna, Ditiones atque Provincias Maiestatis suæ Cæsareæ hæreditarias, neque per se, neque per alios, directè aut indirectè, vel alio quocunque modo offendet, neque rebellibus vel inimicis Maiestatis suæ Cæsareæ, Sacrique Imperij, qui nunc sunt, aut aliquando declarabuntur, ope, consilio, pecuniâ, armis, commeatu, vel quâvis aliâ ratione assistet, quin potius illos ad æquitatem, respectũ & obedientiam debitam hortabitur: &c. Eodem tempore, fœd fragi illius fœderis leges: ex quo Ilias illa malorum in Germaniam exundavit, cùm Regis Sueciæ Gustavi Adolphi Legatis per Legatum suũ Herculem Baronẽ de Charnáze contra Imperatorẽ condebat, ac tertio post mense (cogita, quo crimine, vel culpa Cæsaris interveniẽte intra tam breve spatium?) id est, 13. Ianuarii 1631. subsignarit!

Iam verò cum idem Memesius per summam mentiendi licentiam intaminati honoris Imperatori Austriaco (non pacem, nedum fœdus, sed inducias annorum aliquot cum Turca pacto) infamem illam fœderis cum eodem initi, eiusque tot pagorum ad Austriæ fines deditione ac servitute redempti notam, idque iubente (ut ipse in Epistolæ exordio credi vult) Rege suo, conatur aspergere, quibus tu, O Amice integerrime, verberonem plagis dignum censes? An non commeritum, cui malæ continuo hoc molari confringantur, quem Historiarum superioris sæculi fide digna monumenta Nobis suppeditant? Nimirum: Reges Galliæ, sive Christianissimos, Initio à Francisco primo ducto, eos esse, quos cùm, ut à Vicinia Turcica Regni sui situs remotiores, ita tot undique obiectarum fortissimarũ Christiani nominis Gentium propugnacula à violentiâ tutiores fecisset, veriti tamen non sint immani illi Tyranno hoc Sacramentum dicere: Per Deum Magnum & Altum, Misericordem & benignum, Formatorem cœli & Terræ, & omnium quæ in eis sunt: Et per hæc Evangelia, per Sanctum Baptisma, per S. Iohannem Baptistam, & per fidem Christianorum promitto & iuro, quod omnia, quæ novero, aperta erunt Altissimo Domino Sultano Solimanno & Imperatori (cuius Regnum Dominus fortificet!) Ero Amicorum suorum Amicus, & Inimicus inimicorum: Ero Redemptor captivorum Turcarum ex vinculis hostium eius: Nihil mea parte fraudulentum erit. Quod

si

si hoc neglexerim : Ero Apostata, mandatorum S. Evangelii, Christianæque fidei Prævaricator : Dicam Evangelium falsum esse : Negabo Christum vivere, & Matrem eius Virginẽ fuisse. Super fõte Baptismatis porcum interficiam ; Et altaris Presbyteros maledicam: Super altari fornicabor cum luxuria, & SS. Patrum maledictiones omnes in me recipiam. Ita me Deus respiciat ex alto ! An non hic aliquis Obstupescite Cœli, &c. exclamet? Lege de hoc, si vacat, Ægidium de Bernomolin: & Laurentium Surium ad Annum Christi 1544. Item Caspar em Fns referentem quod Antonius Pratensis Magnus tum temporis Franciæ Cancellarius huic fœderi nunquam voluerit subscribere. Et audeat Memesius horum sibi & suis Regibus conscius ex intempestivo illo apud sapientissimum Regem perorandi pruritu Heroum Domum Austriam, Christianarum Gentium & Occidentalis Ecclesiæ contra tyrannidis Turcicæ immanem potentiam, intemeratum munimentum, hoc tam vano iuxta ac gravi maledicto incessere? Horret animus vel meminisse horum diutius.

Itaque positâ frameâ, quam cothurnata Adversarii maledicentia arripere me coegit, ad mite pacis institutum nostrum iam redeo.

Et quæres absque dubio ; Cur, cum Cæsar per Epistolam ad Regem Daniæ datam de voluntate & assensu suo super iis, quæ plus difficultatis videbantur habere (ut de Salvo conductu Sabaudico) adeoque ipsis tractatus substantialibus declararet ; Quoad illa, quæ minùs importabant, & utcunque vel superflua, vel ambigua, vel impossibilia etiam fuerint) certè confirmari potuisse ex subsecuta deinde eorundem ratificatione convincatur, se adeò difficilem præbuerit? usus etiam quoad illa priora non solenni ratificationis, sed epistolæ forma?

Respondeo breviter ad utrumque horum, ac ad illud priùs quidem; primò, quia sperârit, ac certo sibi promiserit, cum ipse se nunc & aliàs, quoad res longè difficillimas ac gravissimi periculi, tam facilem præbuisset, minimè difficilibus se adversariis usurum quoad ea, quæ tàm parum vel nihil importarent, partim etiam impossibilia forent.

Et ut intelligas, quam meritò Cæsar id persuadere sibi & sperare potuerit, recognosce mecum paucis etiam illa, quæ solius pacis studio Imperator, qui nunc rerum summam moderatur, & is, qui ante eum moderatus est, Pater & proximus prædecessor eiusdem, à quo tempore primùm de tractatu pacis instituendo agi cœptum est, de Iure, vel commodo remittentes suo fecerint & concesserint.

Cum primùm de loco his tractatibus instituendis ageretur, optabat Cæsar Tridentum, vel Constantiam, vel Augustam Vindelicorum, vel etiam Spiram aut Francofurtum ad id deligi, Civitates, ut præteritorum

temporum vel consiliis, vel Comitiis celebratissimas, ita, ut ipse existimabat, æque omnibus, vel paulò minùs illi parti commodas; Renuit Rex Galliæ, & Leodium vel Coloniam postulavit. Cæsar in hanc posteriorem, tametsi duplo longius ab Aulâ suâ, quam Parisiis dissitam, ac tum motibus intestinis admodum periculosis laborantem non sine magno discrimine suo annuit.

Actum deinde de Salvis conductibus utrinque dandis. Dedit Cæsar pro Plenipotentiariis Regis Franciæ: & vicissim acceptis, qui ab illo per Nuncium Apostolicum offerebantur, nullâ morâ interpositâ, suos Coloniam misit. Rex Franciæ in hodiernum usque diem non misit. Quid causatus? Primum non placere sibi Salvum conductum à Cæsare imperitum eâ, quâ conceptus erat, formâ; Nec causa, cur, vel quid displicuisset, tùm aperiebatur, (cognitum autem est postea id fuisse, quòd in contextu verborum Rex Catholicus Christianissimo fuisset præpositus) nihil moratus Cæsar 16. Maij, Anno 1657. in eadem formâ, quâ Gallus in suis usus fuerat, alium scribi & transmitti iussit. At ille nihilominus emansit.

Petiti postea fuere Salvi conductus pro sociis in genere, ac expresse pro fœderatis per Germaniam, & demùm in specie, pro Sabaudo, Mantuano, Parmensi Ducibus & Hollandis.

Pro sociis in genere nihil abnuit Cæsar. Et quanquam videret, si in hos tractatus etiam Italica ac Hollandica miscerentur, in quam molem res evasura esset; etiam Salvos conductus speciales pro Sabaudo, Mantuano & Parmensi atque Hollandis ipsis (reclamante licet Residente Hollandico Foppio ab Aisema nihil his opus sibi esse, eo, quòd bellum Hollandis cum Cæsare nullum intercederet) concessit.

Quoad fœderatos verò per Germaniam (quos illo vocabant & in quorum numero etiam illos, qui iam pridem post Pacem Pragensem Cæsari reconciliati & pacati erant, collocabant) quo minus sic simpliciter Cæsar consentiret, cum solidissimas ac longè prægnantissimas haberet rationes; (quas postea in responso suo Oratori Veneto dato expressit) Ex hoc tamen tractatus moram pati noluit: etiam illis, quantum ad securitatem commeandi & tractandi satis esset, concessit; datâ Plenipotentiariis suis Coloniæ iam tùm commorantibus facultate, ut si qui ex Ordinibus & Statibus Imperii negotia sua per Legatos Regis Franciæ in conventu illo tractare vellent, iisdem petentibus ipsi idoneos Salvos conductus elargirentur; Et factâ præterea omnibus, qui se gravatos sentirent, ad Aulam Cæsaream veniendi, & illic agendi potestate.

Quid ad hoc Rex Franciæ? Suis nimirùm postulatis inhærere, & cum Cæsar publicè, ut dixi, rationes sanè prægnantes, cur iis assentiri non posset, explicasset, ne tantùm quidem moveri, ut unum aliquem hominem, cum potestate de his rebus agendi Coloniam mitteret: quantumvis id & Cæsar & Pontifex ipse summopere urgerent, & (quod amplius est)

Regi-

Regina & Corona Succiæ socia Legatum suum ad tractandum non minùs de summâ, quàm præparatoriis rerum plenâ potestate munitum iam pridem Hamburgi haberet.

Factum deinde operâ ac labore Serenissimi Regis Daniæ, ut Legatus Suecicus Salvius in certas Salvorum conductuum formas, quorum illi, qui pro fœderatis per Germaniam conceptus erat, hæc restrictio adiiciebatur (nondum reconciliati) consentiret, easque Rex Cæsari approbandas transmitteret, prout superiùs audisti. Non reiecit Imperator, sed statim nullâ re mutatâ, prout ipsi à Mediatore Rege, assentiente Oratore Suecico, oblatæ fuerant, expeditas transmisit, nihiam superesse ratus, quin laboriosa hæc ac tot annos jactata Præparatoriorũ navis portum teneret, ac mox initium operi Pacis fieret. Nec supererat sanè quicquam nisi Commissarius Gallicus, probè nimirùm officij sui memor (utpotè non Pacis, sed belli promovendi ergo illuc missum se esse sciens) oblocutione suâ intercessisset eâque effecisset, ut etiam Salvius ab eo, quod placuerat, resiliret.

Alia post atque alia ad moram ex morâ trahendam subinuecta sunt postulata; Ac in primis institum, ut etiam causa Palatiniana ad hos tractatus admitteretur. Admisit Cæsar. Petitum, ut speciales etiam Salvi conductus pro Duce Bernhardo Weimariensi, ac Æmiliâ Elisabethâ Landgraviâ Hassiæ Viduâ concederentur. Cõcessit Cæsar. Vtrique in illis titulus Illustris (quo maiorem ex Gentilibus illarum familiarum nemo, præter Electorem, Principem, obtinebat) datus erat; Nec opinor illi, quibus dabatur, recusabant; Recusavit Salvius & titulum (Illustrissimi) poposcit. Etiam hunc indulsit Cæsar. Cum deinde Ordines ac Status plerique Imperij in Comitiis Ratisbonam indictis, mutatâ, quam ante foverant, sententiâ, clausulam illam decantatam, de quâ paulò ante diximus (nondum reconciliati) ex Salvo conductu pro fœderatis per Germaniam concesso omitti posse censuissent; hic quoque Cæsar nihil obluctatus assensit.

Demùm cum nihil non sibi deferri à Clementissimo Cæsare adversarij sensissent, pœnitere etiam cœpit locorum jam pridem ad votum ipsorum habendis tractatibus stabilitorum; Petierunt ergo pro Coloniâ Monasterium, pro Lubecâ Osnabrugam substitui. Cæsar, tametsi sentiret, quantum hæc mutatio incommodi sibi, rebusque suis esset allatura, quando in necessariis tractandarum rerum communicationibus nuncij ab extremo Imperij angulo, in altero extremo exspectandi forent, hic quoque cessit.

Nec dubitandum, quin eâ facillitate invitati Adversarij tandem etiam pro Ducissâ Sabaudiæ, eum, quem impetrarunt, titulum Tutricis Pupulli Ducis & Regentis eius Statuum petierint.

Considera, mi Amice, an iniquum fuerit, Cæsarem, cùm in tot, tamque gravibus sibi postulatis de jure

D suo

ſuo ceſſiſſet adverſariis, ab iisdem ſperare, ne ſibi vim in iis facerent; quæ parùm vel nihil adiecta, detractave commodi in utramuis partem afferrent, ſed quæ manifeſte appareret non retardandis; ſed promovendis magis tractatibus ab eodem fuiſſe omiſſa?

Quanquam (ut alteram te ac veram cauſam ne celem) Cæſar ne hic quidem cunctaturus erat, ſi de fide Gallica & eorum, quæ ab illâ promittebantur, obſervatione certus eſſe potuiſſet, Dubitandi cauſa erat, memoria cum Pacis Ratiſbonæ anno 1630. initæ, de quâ paulò ante dictum, tùm & actorum inde ſubſecutorum.; Iſtud autem maximè, quod hactenus titulum Imperatorium ſibi ab unico Rege illo, quàm ſine ratione, tam obſtinatè negari, & ex quo ſibi ſumma irrogabatur iniuria, ex eo acta ipſa irrita fieri videbat, Vt quid enim apud Cæſareum Mediatorem agere; Cæſarem non agnoſcere Salvos conductus ab Imperatore pro Statibus Imperij ſtipulari; & eidem Imperatorium titulum negare? Quæ eo nomine contracta cum ipſo fuerant rata habere; contractui ſubſcribere nolle? Promittere, quæ acta fuerant, rata etiam apud Regem fore, & de defectu mandati ſui profiteri? Quid ſibi Cæſareæ ſynceritatis candor promittere vel augurari ex his poterat, quam hominem Verſipellem id agere, quod actum; promittere quod ſervatum; contrahere, quod impletum nollet; Et uno verbo Cæſari ſimul & delecto ab eodem Mediatori illudere? Probaſſet contractum Cæſar, Rex Galliæ reieciſſet? Tantò altius præiudicij plaga illi imprimebatur, quantò volentius fuiſſet accepta, & tantò difficilius impoſterùm curanda, quanto facilius admiſſa.

Ergo cum alioqui Pacis cupidiſſimus Princeps, nihil optaret magis, quàm ad Pacis Tractatus properari; non poſſet autem formam illam conventionis integrè comprobare, fecit, (quod tu ſecundo loco quærebas) quantum ſatis erat, & Salvâ dignitate ſuâ poterat, ut de ſuâ voluntate, quoad ipſam ſubſtantiam rei, per Epiſtolam declararet; id ſibi jure ſummo ſuo, ut ſuo more loqueretur; præſertim cùm de formâ ratificationis in contractu nihil fuiſſet expreſſum, & non iniquum duceret, quando Memeſio non modo ſuam ſibi in acceptando contractu peculiarem formam arrogare, ſed expreſsè etiam declarare licuiſſet, quod illum non niſi quoad ſubſtantiam, loca videlicet, & diem congreſſuũ, mutuamque Salvorum conductuum traditionem acceptaret; idem Cæſari in eius ſubſtantiâ acceptandâ non negari; paratus cæteroquin, quandocunque certus fieret, Regem Galliæ promiſſis per ſuum Miniſtrum ſtare, ad unguem omnia non ratificare tantùm, ſed & adimplere. Quod tum ſine morâ perfecit, quando à Sereniſſimo Rege Daniæ Legato Cæſareo Comiti Auerſpergio, & ab hoc Maieſtati ſuæ per litteras de transmiſsâ Gallica ratificatione idonea fides eſt facta; Tam-

etſi

etsi eam ratificationem eiusve exemplar neque dum vidisset Auerspergius, nedum, qualis ea esset, divinare potuisset.

Hic si Rex quoque Catholicus perceptis tam gravibus, cur sæpememoratum Hamburgensem illum tractatum non ex amussim ratihaberet, suam etiam hactenus ratificationem suspendit, donec de ulteriore resolutione Cæsarea certior fieret; eandem sanè, quam Cæsar, imò justiorem excusationem habere dicas, eo, quod Gubernator eiusdem Provinciarum Belgicarum Don Franciscus de Melo Marchio de Tordelagunâ, eâdem in omnibus, quoad Gubernationem, atque hos tractatus, quâ quondam Serenissimus Cardinalis Infans potestate munitus, ante quàm de rationibus Cæsaris intelligeret Tractatum illum per omnia, dato solenni instrumento, ratihabuerat; transmissis etiam omnibus ex conventione requisitis Salvis conductibus. Nec dubitandum, quin idem Rex Catholicus, ubi de eo, quod posterius Cæsar fecit, fuerit edoctus, eiusdem se voluntati in expediendâ etiam suâ ratificatione sit conformaturus.

Quod verò Memesius intemperanti calamo, & sui usque & usque immemor in Regis Catholici ac Ministrorum eius actiones ubique invehitur, in hoc magnum causæ suæ præsidium invenisse ratus, si ostendat; non continuò, ubi ipsi placuit, vel placere simulatum fuit, plenipotentiam ad tractandum cum eo de pace Hamburgum transmiserint; quo alio gladio excipiam quàm suo? Erat, quod sæpius jam inculco, componendis rebus Gallicis constitutus locus non Hamburgum, sed Colonia, ubi quinquennium Oratores Hispanici unà cum Cæsareis, Legatisque & Nunciis Mediatoris Pontificis frustra Gallum præstolantes desidebant. Hoc æquum in illos! At contra iniquum, si ubi Memesius increpuerit digito, hi non ilico, & crepitum eius habeant pro oraculo, & confestim Hamburgum evolent, illic imperia Memesiana excepturi! Nec à tractatibus Palatinianis importunus Orator maledicum dentem abstinet, illud arrodens, quo cùm Serenissimi Magnæ Britañiæ & Daniæ Reges, tùm excelsum Collegium Electorale sibi summopere satisfactum fuisse non obscurè ferunt, nempè, quod cum d. Serenissimus Cardinalis Infans, cui plena ad hos tractatus potestas à Rege facta fuerat, paulò ante è vitâ excessisset, neque ea, quæ postea in Marchionem de Castel Rodrigo collata fuit plenipotentia, è vestigio adfuisset; Cæsar & tum, cum ea expectaretur, & postea, cum advenit, operâ & authoritate suâ promovere negocium cœpit. & eo usque promovere non cessavit, donec Orator Serenissimi Regis Magnæ Britañiæ quidvis aliud potius, quam Austriacæ Gentis culpam causatus, ultro re in aliud tempus dilatâ abiit.

Ad cæteras Adversariorum cavillationes passim per epistolas & notas ipsorum marginales sparsas sigillatim respondere, planè superfluum duco (præstabunt id forte alij, quibus plus ad hoc suppetit otii.)

Atque his finio, satis, ut opinor, pro epistolæ quidem modo, osten-

ſum eſſe exiſtimans, non fuiſſe ſimpliciter obligatos Cæſarem & Regem Catholicum, ad ratificandam conventionem Hamburgenſem; Cumque cauſas non ratificandi graviſſimas haberent, declaraſſe tamen de voluntate ſuâ, quantum ſatis eſt; Et ſi quid omiſſum fuerit, cum id parvi, vel nullius eſſet momenti, non fuiſſe commeritos, ut tàm inclementer ab Adverſariis audirent, cum longè maiora ipſis indulſiſſent.

Iam verò ſi è contra tu conſideres, quæ adverſariorum, ac potiſſimum Regis Galliæ, ſive, (ut id, quod verius cenſeo, enunciem) Miniſtrorum eius, in producendis indies novis, ac, ut leviſſimè dicam, minimè neceſſariis poſtulatis fuerit arrogantia, & in perurgendis iisdem pervicacia, qui noviſſimè etiam, cum Imperator de ſuâ, per Epiſtolam ad Regem Daniæ, voluntate ſatis declaraſſet, denunciare non dubitârint, Regem niſi conventione Hamburgenſi ad unguem impletâ ſuos miſſurum nô eſſe, dignum nempe iuſtitiâ & pietate eius arbitrati trophæum, ſi continuatâ ad hunc usque diem Chriſtiani Orbis ruinâ, inanes quoſdam litterarum ac verborum apices evincerent; Nullus dubito, quin & tu, & quisquis ab affectu vacuus hæc prout geſta ſunt veriſſime ſcripta penitus inſpexerit & conſiderârit, id mecum ſenſurus ſit; ſi quid ad pacem hactenus profectum eſt, id totum ſtudio quietis, & pietati Auſtriacæ eſſe adſcribendum; ſicut è contra retardatæ culpam Adverſariis, ac maximè Regis Galliæ miniſtris imputandam.

Tu autem, Amice, cogita & crede, habere Deum vindicem Oculum ſepṭuplum redditurum in ſinum hypocritæ, qui cum pacem oderit, deſiderium eius ſimulat: Nec immunem fore, huic qui nimium ſit Amicus; At illius divino judicio cauſam ſuam Auſtriacos ſicuti hactenus probare ſtuduerunt, ita adhuc commiſſam velle.

Dabam Coloniæ Agrippinæ pridie Cal. Septemb. Anno 1642.

POSTSCRIPTVM.



CVm aliquot Septimanis ante quam hæc ſcriberem, Cæſar, dubio, de quo in epiſtolâ inſinuavi, remotô, conventionem Hamburgenſem ſolenni diplomate ratihabuiſſet; cuius forma hic ſub lit. A. adjungitur; ſimulque de eo Regem Catholicum certiorem feciſſet, hortans, ut iam & ipſe citra cunctationem ſibi ex dictâ conventione incumbentia expedienda ac quantocyus transmittenda curare vellet; iamque adeo paſſim apud omnes

mnes hæc esset concepta spes, fore; ut intra breve temporis spacium, allatis ex Hispania expeditionibus, omnis in posterum adversariis cavillandi ansa præscinderetur: Putaram me rectè nec tibi rem ingratam facturum, si tantisper dum huius spei Bonum nobis repræsentaretur, epistolam jam obsignatam apud me retinerem, vel tuam & Amicorum vacillationem tanti argumenti soliditate firmaturus, vel moram Nantij felicitate pensaturus: Sed motæ subinde aliæ atque aliæ ab Adversariis, eæque eiusmodi contra vel præmemoratam Cæsaream, vel eam, quæ postea ex Hispania advenit; ratihabitionem & Salvos Conductus fuêre difficultates; quas præteriri à me, neque tu & Amici; nec res ipsa patiatur.

Sparsæ igitur primùm fuêre à Legato Salvio animadversiones ad dictam ratificationem Cæsaream hic sub lit. B. adiectæ. Quibus examinandis nescio sanè, an operæ precium sit futurum, bonas horas consumere.

Et abstinerem profectò nisi nugæ omnium maximæ longè etiam maiore ab Adversariis contentione atque ita agerentur; ac si iis Imperia & Regna imò Christiani Orbis Salus posthabenda esset. Igitur nolenti volenti aliquid se iis dicendum.

Auspicans ergo animadversiones suas noster Aristarchus. *Hæc ratificatio*, inquit, *videtur ambigua, fallax, insufficiens, & illusoria.*

Quod si enim externam formam, id est, modum ipsum, sive (ut vulgo vocant) conceptum intelligas, parum ad rem fuerit, larvam, corticemque ratihabuisse, indole, nucleoque neglectis.

Sin Internam accipias, est ea quidem formati pars, non tamen formatū ipsum. Vt enim non sola hominis anima est homo, ita non sola forma conventionis conventio. Atque ita qui formam tantum approbat, non totum probat, sibi insuper libertatem reservans, quamcunq; instrumenti particulam non formam, ut usus temporisque postularint, nuncupandi.

Quemadmodum verò ambiguum est, utrùm Externam, vel Internam intelligas: Ita etsi utramque sumas, tamen est insufficiens ratihabitio. Conventio enim tota compositum quid est, non solum ex formâ, sed etiam ex materiâ *efficiente, fine, adeoque loco, tempore, ac pluribus aliis circumstantiis. Qui igitur ex toto causarum & circumstantiarum acervo solam formam educit, baptizatque, is cæteras omnes singulasque exclusisse censetur.*

Ac licet hæc cuncta se rite haberent, ludibriose tamen nunc primum dies tam commutationis instrumentorum, quam tractatus principalis ratus habetur: Vtpote quorum prior præterito (15.) (25.) *Februarij; alter* (15.) (25.) *Martij; uterque tot ante Menses, culpâ Cæsareanorū irritus effluxit, ut neuter amplius servari possit.*

Quin nec addunt cauti simulatores Cæsareani, se instrumentum in cæteris suis punctis & clausulis servaturos, vel non passuros, ut à suis ullo modo violetur (prout moris est; & in Regnorum instrumentis servatum) scilicet notam crassis prædicatis transcendentis formæ abstractioni ineptè applicatis, obscurior alias dolus, forte pateret. Hactenus Salvius. Aquilina profectò & planè transcen-

dens Adleri nostri in speculando sublimitas, in lustrando perspicacitas, in dijudicando subtilitas, in omnibus (quod pace tuâ, O Amice, & ipsius dixerim (ineptia! Haud multum absimilis illi, ac si quis inter instrumentum, & id, quod instrumento comprehenditur, sive instrumentatum (ita enim vulgò hodie & loquuntur & distinguunt harum rerum artifices) distinguens; Serenissimam Reginam Succiæ *instrumentum conventionis inter partes confectum* (hæc sunt verba ratificationis à Salvio ex parte eiusdem exhibitæ, cuius exemplum infra lit: C. videbis) ratihabentem; instrumentum sive externas solennitates non ipsum instrumentatũ, vel conventionem ratihabere; ac proinde ratificationem ambiguam, fallacem, insufficientem & illusoriam nobis obtrudere contenderet. Quis non hunc in re maximè seriâ ludos facere diceret.

Salvius ipse, ut credo, indignatus vim Reginæ, ac verbo eius fieri clamaret, quippe cuius hæc in legibus usuque ipso sit significatio, ut totam scripturam sive conventionem significet. Quod equidem me quoque approbante & laudante ille faceret. At idem Cæsareani regerent, & regerunt Salvio; formam conventionis ab ipsâ conventione distinguẽti nihilo meliore, imò peiore subtilitate.

Quid usu tritius, & vel iuris Interpretibus, vel legum ipsarum conditoribus familiarius, quàm cum quid contra vel secundum Ius, Legem, Edictum, vel Conventionem factum, gestumne significare volunt, dicere, id contra, vel secundum formam Iuris, Legis, Edicti, Conventionis factum esse?

Vlpianus *l. 7. §. sed si quis ff. de pactis*: Item, inquit, *Si quis pactus sit, ut ex causa depositi omne periculum præstet, Pomponius ait, pactionem valere, nec quasi* contra Iuris formam *non esse servandam.*

Idem *L. 22 ff. de minoribus* ita refert: *Cum Minor restituitur ad adeundam hereditatem, quæ antea gesta erant, per Curatorem bonorum decreto Pretoris ad distrahenda bona* secundum Iuris formam *constitutum, rata esse habenda Calpurnio Flacco Severus & Antonius rescripserunt*; Idem Vlp. *L. 7. §. ff. soluto matrimonio*: *Item si messes eius anni, quo divortium factum est, Colonum* ex forma Locationis *sequantur: Ante Vindemiam soluto matrimonio, nihilominus pecunia messium in computationem cum spe futuræ Vindemiæ veniet.*

Et Papinianus *l. 42. tit. eodem pactus privatorum* respondet, formam Iuris Fiscalis convelli *non placet.* Imo est, ubi Legislator formam simpliciter sinè alio adiecto pro lege accipiat; tanta nimirum in Iure Formæ est reverentia! Imperator Alexander Augustus Epicteto. C. *de venditione rerum Fiscalium,* Forma est, inquit, *quoties ad Fiscum vel minima portio rei pertinet, ut universa à Procuratoribus meis distrahatur, sed precium partis tantum in Fiscum redigatur, reliquum partium Dominis restituatur.*

Quid his, si viverent, Salvius diceret? Nonne de ambiguitate & fallacia

lacia Vadimonium? Eodem nempe Iure, quo iam Cæsareanis de formâ conventionis dicam scribit.

Et vide, quam non probè suas inanias adornet.

Distinguit inter formam Externam & internam, ac per illam quidem, modum, *sive (ut vulgo vocent) conceptum* ipsum intelligere se dicit; (quâ peritè. Nil hic attinet disputare? Et mox patebit:) Per hanc autem, quid velit, planè non dicit: Nimirum, si diceret; suo ipse indicio periturus, ut sorex. Et quid diceret, nisi formam illam Internam id esse, quod Externa refert significat, exprimit?

Nempe conventionem partium circa idem obiectum sive materiam, de quâ Hamburgi actum fuerat, cum omnibus causis & circumstantiis annotatam. Ex quo unam cum alterâ formam comparanti mox patuisset, Formam externam esse explicationem consensus idem volentium, non inanem aut abstractam, sive (ut Salvius sibi fingit) *larvam & corticem sine medole & nucleo*; Sed relatam ad suum obiectum & significantem (nisi forte ipse actum voluntatis sine obiecto, signum, sine re significatâ, aut unum correlativorum sine altero propriè dici vel comprehendi posse existimet?) Et huic quidem formæ sive scripturæ Cæsarem ratificationis suæ actu extremam quasi manum adhibentem absolutam omnibus solennitatum numeris existentiam tribuisse.

Et ex hoc ipso vides, O Amice, formam Conventionis etiam Externam ab ipsâ conventione minùs habere dissidij, quàm instrumentum ab instrumentato, de quo supra insinuaveram, cum is, qui instrumentum conficit, consensui iam extrinsecus expresso vestem publicam quasi induat: illa autem nascenti, ut cognoscatur, conferat speciem.

Iam verò quod Censor noster ludibriose se à Cæsareanis haberi ex eo conqueritur, quod illi etiam diem commutationi instrumentorum, & congressui inchoando dictum, iam pridem elapsum ratihabuerint, quid aliud, quàm ludibrium quærit, inventum etiam apud suos, ut qui impertinentiam illam præteritione suâ pridem damnârint. Quod idem absque dubio de formæ doctrinâ & aliis erant facturi nisi & ipsi tricas quærerent, & honorem Cancellario haberent.

Putat deinde illud quoque suâ animadversione dignum, quod Cæsariani tametsi se formam Conventionis per omnia ratihabere dicant, non tamen dicant se instrumentum in cæteris suis punctis & clausulis servaturos: Videlicet, ac si is, qui omnia dicit, non etiam puncta & clausulas dicat; vel qui omnia ad nudam & inanem formam refert, non etiam puncta & clausulas eòdem sit relaturus? Vel qui contractum de dando & faciendo acceptet, non etiam ad executionem eius se obliget? Et verebatur forte Salvius, ne parum inentus esset, si quod ipsa rei conditio abesse non patiebatur (puta, quod de die elapso iam obiecerat;) reijceret; Nisi etiam hoc, quod tacite inest, hic abundare, & superfluere desideraret.

Et

Et hæc quidem ad cognoſcendam Salvij inficetam procacitatem ſatis eſſe nobis poterant: Sed non quieſcit ipſe, & conicturas his accumulat nihilo foliciores.

Quarum prima eſt (ut in ſchediaſmate ipſius ulterius legens videbis) quod Cæſar in epiſtolâ ſæpe allegatâ prima Februarii ad Sereniſſimum Regem Daniæ ſcriptâ, *ſe in Conventione Luzzoviana quædam tantum probare: quædam vero (ut ipſa formalia ſonent,) nequiquam approbare dicat.*

Iam ſic: *Aut igitur*, inquit, *hæc ratihabitio contraria eſt dictis litteris, aut ſi id ſacrilegium eſt ſuſpicari, latentem continet diſtinctionem, qua utraque ſententia ſalvetur, atque ita ambigua eſt & fallax.*

O plus quam Euclidæum acumen? Vt ſi quis dicat, aut totum contrarium eſt parti, aut, ſi hoc abſurdum eſt dicere, latentem continet diſtinctionem, quâ utrumque ſibi conſtet. Atque ita ambiguum & fallax quid eſt totum. Quomodò? percontaberis. Salvium audi: *Poſſunt enim dicere*, inquit, *formam per omnia eſſe bonam, materiam nihil valere, atque ita, ſi Diis placet, habent intentum?*

Hic Salvium memorem eſſe velim, non ſolum, quid ego, ſed, quod magis oportet, quid ipſe paulò antè dixerit. Itane verò Cæſarem qui, ut Salvius aſſumpſerat, per epiſtolam quædam in Conventione Luzzovianâ (imo pleraq; omnia, nequaquam ſane quoad formam, quam ſi inſpicias, reprobârat, ſed quoad materiam, quod ne Salvius quidem negare poſſit) approbarat; Nunc revocare & invertere omnia, & materiam quidem nihil valere, formam vero per omnia bonam eſſe dicere? At hoc ſacrilegium, vel ipſo concedente ſuſpicari! Si vero eorum, quæ ego de forma diſſerui recordetur, inveniet non aliter ad propoſitum Noſtrum diſtinctionem ſuam quadrare, quam ſi Totum quidem bonum, partem vero nihil valere dicam. Tu Amice cogita utrum Amicum ex principiis ſuis, an meis iudicare velis! Quanto planius, imo ſanius & ſanctius facturus erat, ſi non vanitati & bello, ſed veritati & paci velificari, ac in hunc modum ratiocinari voluiſſet.

Cæſar in epiſtolâ pleraque materialia conventionis, imo ipſa ſubſtantialia confirmavit: Et cum ſacrilegium ſit ſuſpicari eundem, quod ſemel dixerit, revocare, aut ſibi contraria dicere velle: reſtat, ut eundem formam conventionis per omnia cõfirmantem, non partem, ſed totum confirmare credamus.

Sed neque placituram fabulam Hiſtrio exiſtimavit, niſi etiam *decantatos* (ut ipſe ait) *æquivocationum artifices Ieſuitas* (*a quibus miniſtrorum Cæſareanorum ſcientiam, & conſcientiam præcipuâ ſui parte dependere* confidenter aſſerit:) Et mox *Hiſpanorum Europæ dominatum affectantium cupiditatem* in ſcenam produceret; Neſciens hæc puerorum oblectamenta iam pridem peritis rerum facere nauſeam?

Iam verò quid putidius, quàm *decerni* (quod Salvius factum fuiſſe ſomniat) *ab Electoribus Imperij Legationem ad Pontificem*, oratum, *ut is Regem Chriſtianiſſimum ad pacem, excluſo Hiſpano, faciendam diſponat? Et hoc*

metu perculsis Austriacis hanc ratificationem fuisse expressam ! Quasi nimirum unquam Principes Electores, aut quisquam alius impetratu difficile apud Regem Galliæ existimarit, ut is Domus Austriacæ inter se separationem admittat, cuius quin interitum, suam ille salutem putet, vix quisquam sanus dubitat.

Ad illud, quod veretur, *ne, ubi contenta conventionis minus syncere a Cæsareanis servata, imo pleraque apertè violata fuerint, in obscuritatibus illis colores habeant, quibus nullam non perfidiæ atrocitatem incrustent, & pallient* : Nihil aliud respondendum, quàm quod suo Salvius pede Cæsareanos metiatur.

Molestè deinde fert, in dictæ ratificationis Cæsareæ instrumento Luzzovio titulum Legati non tribui; sed longè molestius, ut opinor, eundem titulum non tribui sibi: Hoc quidem non immerito, meâ sententia; At illud nullâ ratione, cum nullum extet documentum, quo Luzzovio talem à Cæsare titulum unquam fuisse datum probari possit. Quòd verò nec Memesio Legati titulum tributum innuit: falsum est, & ut verisimile, unguis in Salvianæ ambitionis ulcere, atque huius forte tam acerbi scripti, & moræ tam salutari pacis operi hinc obiectæ causa.

An autem Salvium, O Amice, eâ causâ tantopere excandescere, & suum dolorem contra amanuensis, vel Cancellariæ inadvertentiam, tot tamque diris inde secutis Christiani orbis cladibus, tantaque adeo innocentis sanguinis effusione ulcisci oportuerit, tuum esto iudicium.

Demum ut ostendat, quam non modo aliena, sed ne sua quidem commoda intelligat, curetve; incuriam Cæsareanorum (minimè adversariis noxiam, forte etiam, si dissimularetur, consuetudine coalituram, ac ipsis aliquando profuturam) notat: Videlicet, quod in eodem contextu bis posuerint: *Vigore præsentium, & harum vigore litterarum.* Quid hoc ad ipsum, vel ad locum, vel ad causam? Hoc forte: Quod rectò rem indicio quis pensans ex eâ Cæsareanorum quidem animum minimè nocentem aut insidiosum, sed liberalem & securum: At illius, qui Virgam censoriam in alienam Cancellariam tam arroganter exerceat, impertinenter curiosum, & incontinentem, ac, ut ne quid gravius dicam, malo dignum putare possit.

Et quid, si his tam suspiciosis excitati impetitionibus Cæsareani cõtra aciem tendant, moveantque, non inania illa & vana; tautologias nempe & non necessariam longioris tituli in non longo diplomate Suecico repetitionem; Sed istud, quod in eodem promittitur (*neque passuræ sumus, ut a nostratibus ullo modo violetur*, puta, *instrumentum inter partes confectum*) dolum & insidias clamantes, sub quarum umbra, qui non sint Gentis Suecicæ, eidem tamen addicti, quamvis perfidiam in Cæsareanos exercere queant?

Habebant maiorem, ut opinor, si vellent, quàm Salvius excipiendi ansam; Et si excepissent, rem gratam absque dubio Salvio ac Memesio facturi erant. Hoc sciens Imperator, & quia religio erat eius in patriam

pietati, hunc ipsum ex adversariorum ingenio conceptum non iniustũ metum, certo tot cædium & calamitatum, quas ex quacunque morâ his tractatibus illata secuturas prævidebat, dispendio emendari velle; Non modo tum continuò, ubi de prædictis adversarij cavillationibus ex literis Legati sui prima Novembris datis (Cæsari 25. eiusdem redditis) intellexit, nihil pro se vel contra adversarij formam (quæ hic sub Litt. D. exhibetur) locutus, ratificationem, qualem Salvius optabat, sub priore dato (cuius exemplum hic sub Litt. F. adiungitur) expediendam, transmittendamque Comiti Auerspergio curavit? Sed cum aliquanto post etiam hoc ab eodem Salvio adhuc urgeri percepisset, quod in ea dies commutandis Salvis Conductibus & congressui auspicando præfixi, ut potè jam pridem elapsi ratihaberi non possent, nec deberent, tametsi hoc prævidens Comiti Auerspergio ipso ingressu Legationis suæ, ut de aliis terminis præfigendis ageret, commisisset, jamque adeo actum fuisset; Nihilominus infirmitati ingenij condescendens Adversarij, mentem super ea re suam speciali diplomate 15. Decembris pòst dato (quod sub Lit. F. apponitur) iterum declaravit: Nihil ab hac facilitate suâ, etiam ex eo deterritus quod cum paulò ante sibi à sæpe memorato Legato Auerspergio copia ratificationis Gallicæ (quæ hic sub Lit. G. repræsentatur) fuisset transmissa; in ea neque contractum ipsum insertum neque ullo verbo, an cum Cæsare, vel Cæsareo Ministro (de quo maximè agebatur) contractum fuisset, expressum videbat. Nimirum ut ne quis, quantumvis iniquissimus rerum æstimator, ac neque adversarij ipsi haberent, quo Cæsaris à pace alienationem animi in ullum vocare dubium possent.

Et advenerat interea etiam ratificatio Regis Catholici super præliminaribus in universum omnibus, ac in specie tam super ratificatione tractatus Hamburgensis, quàm super Salvis Conductibus post obitum sæpememorati Serenissimi Cardinalis Infantis à Don Francisco de Melo expeditis; Cui ratificationi adiuncta erat alia amplissima ab eodem Rege in Cæsarem collata potestas: (Quarum exempla sub Lit. H. I. exhibentur.) Nec mora, vi huius concessæ sibi potestatis Cæsar omnes & singulos ex forma conventionis super præliminaribus requisitos Salvos Conductus nomine Regis Catholici iisdem, quibus suos, formis conceptos & expeditos ad manus Comitis ab Auersperg mittit; Additâ in eundem Comitem subdelegatione, ut, quando contra spem aliquid amplius desideraretur, is addere & supplere; Quin etiam, si Adversarij pro ea, quam cognitam jam habebat Cæsar pertinaciâ, præcisè in ratificatione Hispanicâ cũ insertione ipsiusmet conventionis super præliminaribus de verbo ad verbum, adeoque Salvis Conductibus ipsâ manu Regia subscriptis urgendis persisterent; posset non modo ipse nomine Cæsaris expromittere, forte, ut etiam, quoad hæc, & quamcunque aliam formalitatem sub initium congressus indicendi ipsis plenissime satisfiat; Sed

Sere-

Sereniſſimum quoque Regem Mediatorem ad idem ſecum expromittendum, requirere & advocare.

Ac ne quid usquam huc pertinens deeſſet, etiam dictus Gubernator Provinciarum Belgicarum patentes ſuas, quibus fidem faciebat, à ſe & ab Officialibus ſuis tàm bellicis, quàm civilibus, adeoque omnibus Regis Catholici ſubditis, litteris paſſus nomine Maieſtatis Catholicæ à Cæſare datis paritum iri, eidem Comiti Auerſpergio transmiſit. Eorum omnium & ſingulorum, prout ſcripta, expedita, acta, geſtaque ſunt, copiam tibi facerem, ſi neceſſarium judicarem, & faciam, ſi id deſiderari à te intellexero.

Et quis non hac tanta cumulatarum ſatisfactionum quaſi tempeſtate oppreſſos adverſarios manum daturos, & Pertinaciæ navem tandem ſubducturos eſſe crederet? Non ſubduxerunt. Et Salvius quidem in litteris à Cæſare nomine Regis Catholici expeditis dignum maſtige ſuo cenſuit: Quod quæ in iis vigore dictæ facultatis Cæſar ſe facere dicebat, *in vim plenipotentiæ*, fieri dicebantur; Cum Salvius magis proprie & Latinius (*Vi plenipotentiæ*) dicendum fuiſſe contenderet: prout de eo ad Comitem Auerſpergium per D. Langermannum referendum curavit.

At Miniſtri Regis Galliæ, cum infulgentis claritate facti perculſi ſat diu, quid obiicerent, nihil certi reperiſſent, tandem cauſari cœpere; Quod ratificatio Hiſpanica in formâ deficeret; ut cui (1) transactio Hamburgenſis de Verbo ad Verbum non eſſet inſerta. Ac tametſi per eam quicunque Tractatus Hamburgi inter Miniſtros Imperiales, Gallicos, Suecicos, & quoſcunque alios intereſſe habentes, mediante Sereniſſimo Rege Daniæ concluſi ratificarentur; Tamen (2) nomina tractantium Miniſtrorum, ſicuti & dies concluſi tractatus non exprimerentur. Nec (3) etiam hoc adderetur, quod eos Rex in omnibus ſuis punctis & clauſulis ratificet: Quâ ratione unitas & connexitas congreſſuum; Item neutralitas Civitatum Monaſterienſis & Oſnabrugenſis, ſicuti & ſecuritas loci intermedij communicationi tractantium deſignati excluſa cenſeri poſſint. Nec ſufficere (4) ad hæc reparanda ratificationem, quam nomine Regis Catholici Don Franciſcus de Melo vi plenipotentiæ ſibi conceſſæ ſtatim poſt Tractatus Hamburgenſis concluſionem cum inſertione eiusdem, adeoque cum expreſſione omnium neceſſariarum qualitatum & circumſtantiarum expediſſet; Quantumvis ipſe Rex in ſuâ ratificatione ſe modo memoratam à Don Franciſco de Melo factam aut quaſcunq; alias ob eosdem expeditas ratificationes, confirmare & ratificare expreſſe aſſirmaret. Et (5) non fuiſſe ratificandos à Rege Catholico (id quod faciat) Salvos Conductus vi eiusdem plenipotentię ab eodem Don Franciſco de Melo conceſſos; ſed eos, quos defunctus quondam Sereniſſimus Cardinalis Infans expediverit. Demum omnia non ſolum iuxta litteram ſæpememorati Tractatus Hamburgenſis adimplenda, ſed ratificationem in forma (tametſi de ea nihil expreſſum ſit in illo) ex more Regnorum, id eſt,

Franciæ & Sueciæ repræsentandam esse: Nec scilicet, nisi iis omnibus ad unguem præstitis (invertatur licet interim, & in sanguine ac cinere suo suffocetur, & sepeliatur Christianus Orbis) Regem suos ad tractandum de pace legaturum esse.

Quid ad hæc Cæsaris aut Regis Catholici Ministri? Inculcarent à Rege Catholico ratificationem Don Francisci de Melo fuisse confirmatam; Ab hoc vero totum contractum Hamburgensem cum insertione eiusdem de Verbo ad Verbum ratihabitum & approbatum? Non audiebantur. Retorquerent, minus etiam à Rege Galliæ fuisse præstitum, ut qui suæ Ratihabitioni non contractum Hamburgensem, sed eiusdem à suo Ministro cum notabili restrictione *quoad substantialia* factam acceptationem solummodo inseruisset? Reijciebantur. Contenderent, rem ipsam & securitatem, non formalitates & apices rerum spectandos? Explodebantur. Adderent, non potuisse confirmari Salvos Conductus à sæpedicto Serenissimo Cardinale Infante concessos, eo quod ijdem iam pridem expirassent, idque ipsum Don Francisco de Melo Orator Venetus in Gallia Residens per litteras 13. Novembr. Ann: 1641. paulò post excessum ex hac vita dicti Cardinalis Infantis datas denunciari fecisset? Et esse, qui hic obijciatur, defectum non solum per Salvos Conductus à Don Francisco de Melo expeditos, sed per eos, quos Cæsar supererogarit, abunde reparatum? ridebantur. Quid ergo faciendum ipsis erat? Id quod fobriis ad decrrationes eorum, quos affluentis fortunæ blandior vultus ebrios fecit, nimirum ut plurimum tacendum, conscientia suâ, & rerum pro se loquentium patrocinio apud sapientes tutis. Supervenêre inter hæc Salvi Cōductus, q requirebantur à Rege Catholico manu Regiâ subscripti. In his Galli cum omnia reperissent plena, hoc conqueri cœperunt, quod nil esset vacuū ad inscribenda mittendorū nomina. Nec dubium, quin in hoc quoque perstituri fuerint, nisi fœderati & socii ac nominatim Hollandi, id quod Galli carpebant, suum interpretati lucrum (quippè qui litteris illis plenis multo se commodius uti posse viderent) manum iniecissent silentium de hoc rogantes: Ac nisi Rex ipse Mediator insolentiam obstinationis iam dudum moleste ferens, authoritatem interposuisset suam, & oratione dignâ se & eximia sua prudentia, id est, gravissimâ (sicut ex Epistola eiusdem sub lit. K. hic annexâ videre est) Residenti Galico friuolas obiectiones suas exprobrasset; Aut quod mihi verisimilius est, nisi iam non tantum Hollandi, sed & Sueci tam damnabilem in rebus gravissimis levitatem pertæsi, & cùm improperio superati indignantis orbis, tum exemplo moniti tam vastæ arrogantiæ, obloqui ipsi & angarias paulatim declinare velle ostendissent. Ac demùm nisi, quod omnium potentissimum est, monitrix Dei accessisset dextera, sideratoque Galero terrarum orbis incendiario, etiam Coronam Regiam propius cōsiderare fecisset, quid illi agant, qui

cum,

cum,ut ipsis est usus, paces in Polonia,Italia,Anglia particulares vel fecerint vel facere se simularint hactenus & simulent, bella ex Bellis excitant: Imò cum universali ruina omnia impleant, universalemque omnium quietem tam levibus prætextibus tandiu retardent, universalem in omnes Dominatum affectantes, nil nisi universalem pacem spectare videri volunt.

Huius nempe benefici Dei Bonitati, sicut & indefessæ Mediatoris Regis sedulitati acceptum ferendum, quod tandem Rex Galliæ, acceptâ, quam diu repudiaverat, Cæsaris de repræsentandâ,sub initium congressus ratificatione Regis Catholici cum inserto instrumento transactionis Hamburgensis, Expromissione, secunda huius,quod fœlix & faustum sit? Diem eidem congressui auspicando undecimam Iulii proximi (iuxta patentes sub lit.E. his adiunctas) indici & publicari sit passus.

Et hic tu habebis, ut spero, mihi de nuncii tam diu expectati bono gratias. At ego postquam intentius revolui ludubria,quibus tot iã annos ab infidis vicinis tã probrosè agimur,non possũ,quin miserrimũ afflictissimæ Germaniæ Statum deplorem: Quæ *cum in honore esset* summâ non tantũ libertatis,sed & Imperii gloriâ præ cæteris omnibus nationibus decorata, suam ipsa felicitatem non tulit. Collisa est inter se, spectaculo,prædæ, risui facta committentibus. Vidisti quandiu quanta protervia Emissarius unus Gallicus inermi manu, linguâ & calamo temerariis, in mediâ Germaniâ Imperatorem, quem ipsa sibi legitimè elegit & constituit; Quem hoc nomine omnes æque Cives,atque Extranei, hostes ac Amici,morigeri ac immorigeri agnoscunt & colunt, Imperii titulo publicè minutum iverit? Quod utinam inclyti Status tam gloriosi olim Imperii corde hæc recogitent, &, si (quod valde verendum)inimici porro insolentes ludos faciant, ipsi cum suo in unum Capite compositis simultatibus coëant! Poterunt, eodem Deo propitio, videre momento dissipatos & factos sibi supplices, qui nunc discordiis & calamitatibus ipsorum tam crudeliter insultant. Datum ut in Litteris. 20. Aprilis.

Anno 1643.



N°. I.

Copia Litterarum,

AMICI AD AMICUM.

DE

TRACTATIBUS PACIS,

Prout ea ad Cæſarem à Sereniſſimo Rege Daniæ fuit transmiſſa.

MAGNIFICE ET NOBILISSIME DOMINE,

Amice plurimùm honorande.



VÆRIS à me nuperis tuis, quo loco tractatᵘˢ pacis ſint? ut, quid ſperari metuivè debeat, & tu & amici noſcatis.

Quæſiverunt id tecum jam diu multi; tam cupidi ſcire, quid eos moretur, quam anxiè hactenùs pacem

N°. II.

Copia Epiſtolæ Legati Suecici

AD AMICUM.


DE

TRACTATIBUS PACIS,

Prout ea à Claudio Memeſio Comite d'Avaux ad finem libelli ſui Amblelodami excuſi annectitur.

MAGNIFICE ET NOBILISSIME DOMINE,

Amice plurimùm honorande.



VÆRIS à me nuperis tuis, quo loco Tractatᵘˢ Pacis ſint? ut, quid ſperari metuivé debeat, & tu & amici noſcatis.

Quæſiverunt id tecum jam dudū multi, tam cupidi ſcire, quid eos moretur, quàm anxiè hactenus pacem

cem optârunt. Et quærendi causas habuêre. Nam & Imperator à multis annis nihil magis desiderare visus est; & Regna fœderata se semper ad tractandum prompta parataque fuisse testantur. Mediatores autem tantum operæ studiique in re saltem ad congressum promovendâ posuerunt, ut eos jam ferè laboris ac sumptuum tædere incipiat. Nec tamen adhuc potuit tractatus saltem inchoari: aliis omnibus, prout quisque in hanc illamvè partem fuerat pronior, ita huic illivè moram culpamque imputantibus. Vt igitur desiderio tuo satisfacerem, insinuavi me ipsorum huius rei Actorum familiaritati, eorumque rationes prò & contra, quàm potui accuratissimè inquisivi. Et ut candidè dicam, quod sentio, etsi antehac ferè opinatus sim, Regna, pacis odio, moras nectere; vereor tamen ne Austriaci adhuc paci bellum præferãt. Non opus est primos Electoris Saxoniæ & Sigismundi Marchionis Brandenburgici tractatus cum Suecis repetere. Nec quibus vicissitudinibus Franciscus Albertus, Iulius Henricus, & Franciscus Carolus, Duces Lavvenburgici, tùm Augustus Brauswicensis, diu circumducti, tandem præ tædio rem deseruêre. Nota jam tibi sunt ista ludibria! Id saltem probe notari convenit, quòd cùm ante paucos annos Comes Curtius Vice-Cancellarius Imperij magno cum rumore tractandæ pacis Viennâ in Saxoniam submitteretur,

is

cem optârunt. Et quærendi causas habuêre. Nam & Imperator à multis annis nihil magis desiderare visus est, & Regna fœderata se semper ad tractandum prompta parataque fuisse testantur. Mediatores autem tantùm operæ studiique in re saltem ad congressum promovenda posuerunt, ut eos jam ferè laboris ac sumptuum tædere incipiat. Nec tamen adhuc potuit tractatus saltem inchoari: aliis omnibus, prout quisque in hanc illamvé partem fuerat pronior, ita huic illivé moram culpamque imputantibus. Vt igitur desiderio tuo satisfaciam & candidè dicam quod res est, etsi nonnulli antehac ferè opinati sint, Regna, pacis odio, moras nectere; nunc tamen omnibus notum est, Austriacos adhuc Paci bellum præferre. Non opus est primos Electoris Saxoniæ & Sigismundi Marchionis Brandeburgici Tractatus, cum Suecis repetere, nec quibus vicissitudinibus; Franciscus Albertus, Iulius Henricus, Carolus, Duces Lavenburgici, tam Augustus Brunsuicensis, diu circumducti, tandem præ tædio rem deseruere. Nota jam tibi sunt ista ludibria: Id saltem probè notari convenit; quòd, cum ante paucos annos Comes Curtius viceCancellarius Imperij magno cum rumore tractandæ pacis Viennâ in Saxoniam submitteretur; is quidem & nobis Regnorum Legatis, & Mediatoris Ministris, absolutam tractandi potestatem ostenderit; at ubi ad rem ventum esset, Tractatu vix tentato, Viennam reversus, ibique

que

is quidem Legatis Regnorum & Mediatoris absolutam tractandi potestatem ostenderit; at ubi ad rem ventum esset, tractatu vix tentato, Viennam reversus, ibique amicis (Principibus Viris) nimis properum eius abitum exprobrantibus, ingenuè fassus est, nulla se fuisse instructione munitum. E contrà successor eius Lutzovius mandata quidem, cum solo Legato Suecico Salvio agendi principio attulit; sed nullam omninò plenipotentiam; prout intercepta eius instructio, quibus artibus requirendæ potestatis defectum excusaret, edocuit. Acceptâ demum potestate cum utroque tractandi, prohibitus est cum Legato Gallico, nisi mediante Suecico, congredi; quasi Suecia inter fœderatam Galliam, & hostem utriusque Cæsarem potuisset ullo modo agere mediatricem. Negotio tamen per hos gradus diu protracto, postquam tandem ægrè veniam impetrâsset, cum utroque coniunctim agendi, voluit imprimis, ut sine scriptis cuncta peragerentur. Quod quidem sibi perinde fuisse testantur Legati Regnorum, nisi toties elusi necessarium duxissent, scripto transfigere; Ut & regna obligari velle docerent, & dubiam alterius partis fidem, tandem obligarent. Itaque interventu D. Langermanni, Juris-Consulti, Decani Hamburgensis, Consiliarii Regis Daniæ, eiusque tanquam Mediatoris, ad hunc actum, cum litteris fiduciæ ad unumquemq; Legatorum datis, deputati, postquam ille variis hinc inde difficultatibus componendis diu multamque operam navasset, conventum est tandem in

que amicis (Principibus viris) nimis properum eius abitum exprobrantibus, ingenuè fassus est, nulla se fuisse instructione munitum. E contra Successor eius Lutzovius, mandata quidem mecum solo agendi, principio attulit; sed nullam omninò Plenipotentiam: prout intercepta eius instructio, quibus artibus requirendæ potestatis defectum excusaret, edocuit. Accepta demum potestate cum utroque legato tractandi, prohibitus est, cum Gallico, nisi mediante me, congredi; quasi Suecia inter fœderatam Galliam & hostem utriusque Cæsarem, potuisset ullo modo agere Mediatricem. Negotio tamen per hos gradus diu protracto, postquam tandem ægre veniam impetrasset cum utroque coniunctim agendi, voluit imprimis ut sine scriptis cuncta peragerentur: Quod quidem nobis perinde fuisse testamur Legati Regnorum, nisi toties elusi necessarium duxissemus, scripto transigere; ut & Regna obligari velle doceremus, & dubiam alterius partis fidem tandem obligaremus. Itaque interventu Domini Langermanni Jurisconsulti, Decani Hamburgensis, Consiliarii Regis Daniæ, eiusque tanquam Mediatoris, ad hunc actum cum litteris fiduciæ ad unumquemque nostrum datis Deputati, postquam ille variis hinc inde difficultatibus componendis diu multamque operam navasset, conventum est tandem in instrumentum, cuius tenor hic adiunctus est sub littera A.

Vi huius transactionis cùm iam dies 15. (25.) Februarii insinuandis ratihabitionibus & Salvis conductibus

in instrumentum, cuius tenor hic adiunctus est sub Litera A.

Vi huius transactionis cùm jam dies 15. (25) Februarii, insinuandis ratihabitionibus & Salvis conductibus commutandis destinata venisset, Legati Regnorum ratihabitiones suorum Principalium & Salvos Conductus omnes in termino, suetaque summis Imperiis formâ produxerunt. Cæsareus autem, cùm speraretur ex suâ quoque parte optatum negotio finem impositurus; hinc revocatur, nullâ mentione factâ ullius Cæsareæ Ratihabitionis.

Octiduo tamen post dictum terminum, D. Langermannus ostendit Regnorum Legatis Exemplar cuiusdam epistolæ (ut videre est sub littera B.) ab Imperatore ad Regem Daniæ, per Comitem ab Avversperg, Lutzovvio substitutum missæ, requirens, ut etiamsi nolit Imperator dictum Tractatum, prout optandum fuisset, ratum habere; à proposito tamen pio aliisque mediis promovendæ pacis non desisterent. Legati, cernentes nec dictum exemplar vidimatum esse, nec D. Langermannum, ut ad priores actus consueverat, ullas à suo Rege fiduciæ litteras adferre, cogitabant, fortè Regem ipsum indignitate rei commotum ea studio præteriisse. Re itaque invicem deliberatâ, mirabundi responderunt, hanc epistolam, ut maximè pro authenticâ haberi posset, esse tamen rem inter alios actam, nec ad se, nec ad suos Principales directam. Eam pro ratihabitione Regnis ostentare, insolens planè Insperatumque videri. Quippè quę non modo externâ omni Rati-

bus commutandis destinata venisset, nos Legati Regnorum ratihabitiones nostrorum Principalium & Salvos conductus omnes in termino, suetaque summis Imperiis formâ, produximus. Cæsareus autem, cùm speraretur ex sua quoque parte optatum negotio finem impositurus, hinc revocatur, nullâ mentione facta ullius Cæsareæ Ratihabitionis.

Octiduo tamen post dictum terminum Dominus Langermannus ostendit nobis exemplar cuiusdam epistolæ (ut videre est sub littera B) ab Imperatore ad Regem Daniæ, per Comitem ab Auersperg Lutzovio substitutum, missæ, requirens, ut etiamsi nolit Imperator dictum Tractatum, prout optandum fuisset, ratum habere, à proposito tamen pio aliisque mediis promovendæ Pacis non desisteremus. Nos cernentes nec dictum exemplar vidimatum esse, nec Dominum Langermannum ut ad priores actus consueverat, ullas à suo Rege fiduciæ litteras adferre, cogitabamus fortè Regem ipsum indignitate Rei commotum ea studio præteriisse. Re itaque invicem deliberata, mirabundi respondimus, hanc epistolam, ut maximè pro autentica haberi posset, esse tamen rem inter alios actâ nec ad nos, nec ad nostros Principales directâ. Eam pro ratihabitionē Regnis ostētare, insolens plane insperatumque videri. Quippe quæ non modo externâ omni Ratihabitionis formâ careret, sed & ipsam Tractatus substantiam vel tolleret vel immutaret, potius in omnium, qui hos tractatus promoverant, despectum, quàm pacis Testimoniū

 emi∫∫a.

Ratihabitionis [illegible]â careret, ſed & ipſam tractatus ſubſtantiam vel tolleret, vel immutaret; potius in omnium, qui hos tractatus promoverant, deſpectum, quàm pacis teſtimonium emiſſa. Imperatorem antehâc toties & tam ſolenniter conteſtatum eſſe, ſe nihil ardentiùs cupere, quàm, ut præliminaria quantocyùs abſolverentur. In eum finem Legato ſuo Lutzovio non limitatàm, ſed plenam liberamque ea concludendi poteſtatem feciſſe, prout eius apographum hic juxtà teſtatur. Quin & eundem ex abundanti ab Univerſis Imperij Ordinibus, datis Ratiſbonâ litteris ad Regna, publicâ totius Germaniæ fide adeò fuiſſe munitum, ut de eius legitimatione, vel adverſæ partis ſinceritate ſeriâ nec vel diffidentiſſimus ambigere ampliùs potuerit. Tot ſincerationibus, plenipotentiis, Legitimationibus, & Regem Mediatorem, & ſe crediſiſſe, cum eo tractâſſe, ac concluſiſſe; idque non ſub libero, ſed neceſſario rato. Et hoc concluſo, exteris & Imperij ſtatibus communicato, univerſos tam certam tractatuum ſpem concepiſſe; ut & ſinguli ferè publicâ in Eccleſiis vota pro felici eorum ſucceſſu paſſim concipi mandârint. Quæ cùm ita ſe habeant, atque Auſtriaci inſuper toti mundo tam operosè hactenus perſuadere conati ſint, per ſe minimè, per Regna verò omninò ſtetiſſe, quò minùs dicti tractatus anteà ſint inchoati; nequaquam ſe ſperare Imperatorem nunc, revocato priori Legato, ſuo nomine promiſſam recuſare ratihabitionem; miſſoque novo, novos iterum de præparatoriis tracta-

emiſſa. Imperatorem antehac toties & tam ſolenniter conteſtatum eſſe, ſe nihil ardentius cupere quam ut præliminaria quantocius abſolverentur. Im eum finem Legato ſuo Lutzovio non limitatam ſed plenam liberamque ea concludendi poteſtatem feciſſe: prout eius apographum hîc juxta teſtatur. Quin & eundem ex abundanti ab univerſis Imperij Ordinibus, datis Ratiſbonâ litteris ad Regna publicâ totius Germaniæ fide adeo fuiſſe munitum, ut de eius legitimatione, vel adverſæ partis ſinceritate ſeria nec vel diffidentiſſimus ambigere amplius potuerit. Tot Sincerationibus, plenipotentiis, Legitimationibus & nos & Regem Mediatorem crediſiſſe, cum eo tractaſſe, ac concluſiſſe, idque non ſub libero, ſed neceſſario rato. Et hoc concluſo, exteris & Imperij Statibus communicato, univerſos tam certam Tractatuum ſpem concepiſſe, ut & ſinguli ferè publica in Eccleſiis vota pro felici eorum ſucceſſu paſſim concipi mandarint. Quæ cùm ita ſe habeant, atque Auſtriaci inſuper toti mundo tam operosè hactenùs perſuadere conati ſint, per ſe minimè, per Regna verò omnino ſtetiſſe, quo minus dicti tractatus antea ſint inchoati; nequaquam nos ſperare, Imperatorem nunc, revocato priori Legato, ſuo nomine promiſſam recuſare Ratihabitionem; miſſoque novo, novos iterum de præparatoriis tractatus inſtituere velle. Multo nos reverentius ſentire de candore Cæfareæ exiſtimationis, quàm ut ſaltem ſuſpicari poſſimus, Eam, toties publicè datam fidem nolle ſervatam,

tractatus instituere velle. Multò se reverentiùs sentire de candore Cæsareæ existimationis, quàm ut saltem suspicari possint, Eam, toties publicè datam fidem nolle servatam; vel plenipotentiarium suum & Consiliarium Aulico-Imperialem tanto probro oneratum velle, ac si vel ignoraverit sui muneris rationes, vel mandatorum fines maliciosè transgressus sit. Tantùm abest, ut sibi persuadere possint, Eam, Regi Mediatori, tanti Imperij Statui, & Vasallo, quasi aliquid contrà Imperatoris & Imperij dignitatem peregerit, exprobrare; aut Regnis fœderatis & orbi Christiano tot irritis Tractatibus illudere voluisse! Potestatem & mandata sua, quoad præparatoria, tùm conclusione dicti tractatus, tùm Regiarum ratihabitionum superventu, expirâsse. Ut his annullatis, eoque quod semel, cum uno, tantoperè legitimato, Cæsareo & Imperiali Legato, idque sub tanti Mediatoris authoritate, transactum esset, insuper habito, idem denuò, cum novo eiusdem ministro, de cuius legitimatione nihil adhuc constaret, retractare inciperent, id verò & maximoperè elusorium, & ab omni prorsus ratione alienissimum esse! Postulare itaque ut Cæsareo-Hispanica ratihabitio absque ulteriori mora tandem edatur: ne res tanta totius Europæ, potissimum verò animam agentis miserrimæ Germaniæ lacrumis tamdiu desiderata, detestandis eiusmodi ludibriis amplius extrahatur. Sin minùs, se coram Deo, & universo orbe Christiano solenniter protestari, Principalibus suis ab omni jam suspicio-

tam, vel Plenipotentiarium suum & Consiliarium Aulico-Imperialē tanto probro oneratum velle, ac si vel ignoraverit sui muneris rationes, vel mandatorum fines malitiose transgressus sit. Tantum abest, ut nobis persuadere possimus, Eam Regi Mediatori, tanto Imperij Statui & Vasallo, quasi aliquid contra Imperatoris & Imperij Dignitatem peregerit exprobrare; aut Regnis fœderatis & Orbi Christiano tot irritis tractatibus illudere voluisse; Potestatem & mandata nostra quoad præparatoria tum conclusione dicti tractatus, tum Regiarum Ratihabitionum superventu expirasse. Ut his annullatis, eoque quod semel cum uno tantopere Legitimato Cæsareo & Imperiali Legato idque sub tanti Mediatoris authoritate transactum esset, insuper habito, idem denuo, cum novo eiusdem Ministro, de cujus legitimatione nihil adhuc constaret, retractare inciperemus; id verò & maximopere elusorium, & ab omni prorsus ratione alienissimum esse; postulare itaque ut Cæsareo-Hispanica Ratihabitio absque ulteriori mora tandem edatur: ne res tāta totius Europæ, potissimum verò animam agentis miserrimæ Germaniæ, lacrimis tamdiu desiderata, detestandis eiusmodi ludibriis amplius extrahatur. Sin minus nos coram Deo & universo Orbe Christiano solenniter protestari, Principalibus nostris ab omni jam suspicione omnino liberatis, moram culpamque protractæ pacis penes solos residere Austriacos, qui quàm speciosis hactenus criminationibus eam fœde-

 ratis

ſpicione omninò liberatis moram culpamque protractæ pacis penes ſolos reſidere Auſtriacos, qui quàm ſpecioſis hactenus criminationibus eam fœderatis impingere ſategerint, tàm manifeſtè iam toti mundo oſtendant, ſe nihil minùs quàm pacem, nihil magis quàm bellum in animo unquam habuiſſe.

Atque hæc ſunt, quæ de pace ultrò citroque acta, nec tamen, in hunc uſque diem, ullam ab Imperialibus ratihabitionis ſpem factam eſſe, ab ipſo Legatorum ore cognovi. Judicium iam tibi cum amicis integrum relinquo; Deum orans, ut Cæſareæ Maieſtatis conſilium Germano-Hiſpanicum ad veram tandem minimèque fucatam quietem inclinet. Dabam Hamburgi, die 25. (15.) Martii (qui, unanimi aliàs Legatorum conſenſu, univerſalis pacis Tractatui ſtatutus erat) Anno 1642.

Poſtſcriptum.



E præcedens relatio motu exercituum interciperetur, detinui eam penes me, ad præſentis tabellarii ſecuritatem. Interim intelligo Regem Daniæ hiſce diebus per literas à Comite Avverſpergio poſtulaſſe, ne gravetur, ſibi ſcripto aperire rationes, Imperatori obſtantes, quo minùs concluſa præliminarium ratihabere velit: imprimis verò, quid in dictum tractatum,

contra

ratis impingere ſategerint, tam manifeſtè iam toti mundo oſtendant, ſe nihil minus quàm pacem, nihil autem magis quàm bellum in animo unquam habuiſſe.

Atque hæc ſunt, quæ de pace ultro citroque acta fuere, nec tamen in hunc uſque diem ulla ab Imperialibus ratificationis ſpes facta eſt. Iudicium iam tibi cum amicis integrum relinquo; Deum orans, ut Cæſareæ Maieſtatis Conſilium Germano-Hiſpanicum, ad veram tandem minimeque fucatam quietem inclinet. Dabam Hamburgi die 15. (25.) Martii (qui unanimi aliàs Legatorum Conſenſu, univerſalis Pacis Tractatui ſtatutus erat) Anno 1642.

* * *

Poſtſcriptum.



E præcedens relatio motu Exercituum interciperetur, detinui eam penes me, ad præſentis Tabellarii ſecuritatem. Interim intelligo Regem Daniæ hiſce diebus per litteras à Comite Avverſpergio poſtulaſſe, ne gravetur, ſibi ſcripto aperire rationes Imperatori obſtantes, quo minus concluſa præliminarium ratihabere velit: imprimis verò, quid in dictum Tractatum

contra

contra Imperatoris & Imperii dignitatem, putet irrepſiſſe? Copia reſpõſi nondum mihi facta eſt; Audio tamen id in ſequentibus ferè conſiſtere. Primò quòd prætendat, Legatum Gallicum Comitem d' Avaux caruiſſe poteſtate: cum tamen ille non modò plenipotentiam ſuam ad totum Tractatum, etiam principalem, tàm Comiti Curtio quàm Mediatoribus jam dudum oſtenderit; ſed & inſuper ratihabitionem tractatus præliminaris, ſub manu & ſigillo Regis Chriſtianiſſimi, hîc ad manus habeat. Deinde, quòd dicat, Imperatorem quidem probare loca principalis Tractatus, Monaſterium & Oſnabrugam; Et ut præſidia Suecica Oſnabrugâ educantur; nolle tamen, ut dictæ Civitates, durantibus colloquiis, ſacramento utriuſque partis ſolutæ, ad neutralitatem obligentur; vel dato reverſali, tractaturis ſecuritatem promittant: ſed ut loco horum ſufficiant ſui Salvi conductus. Multò autem minùs velle, ut uterque tractatus habeatur pro uno: aut Regna in propriis inſtrumentis nomina Regum ſuorum præponant. Eſſe hæc omnia contra ſuam & Imperii dignitatem. Conſentire quidem, ut, tractatu, re infectâ ſoluto, præſidia Suecica viciſſim Oſnabrugam introducantur; ſub hâc tamen conditione; ut idem de Monaſterio obſervetur. Verùm Legati Regnorum regerunt; imprimis iniquum eſſe ut, cum Suecia in pacis favorem, educto præſidio Oſnabrugenſi, civitatem præſenti ſacramento exſolvat; eadem civitas adverſæ parti juramento obſtringatur. Sicut enim Impe-

contra Imperatoris & Imperii dignitatem putet irrepſiſſe? copia Reſponſi nondum mihi facta eſt; audio tamen id in ſequentibus fere conſiſtere.

Primò quòd prætendat Legatum Gallicum Comitem d' Avaux caruiſſe poteſtate: cum tamen ille non modo Plenipotentiam ſuam ad totum Tractatum etiam principalem, tam Comiti Curtio quàm Mediatoribus jam dudum oſtenderit; ſed & inſuper ratihabitionem Tractatus præliminaris ſub manu & ſigillo Regis Chriſtianiſſimi, hic ad manus habeat. Deinde quòd dicat, Imperatorem quidem probare loca principalis Tractatus, Monaſterium & Oſnabrugam: Et ut præſidia Suecica Oſnabrugâ educantur: nolle tamen, ut dictæ Civitates, durantibus colloquiis, ſacramento utriuſque partis ſolutæ ad neutralitem obligentur, vel dato reverſali, tractaturis ſecuritatem promittant: ſed ut loco horum ſufficiant ſui Salvi Conductus. Multò autem minùs velle, ut uterque tractatus habeatur pro uno: aut Regna in propriis inſtrumentis nomina Regum ſuorum præponant. Eſſe hæc omnia contra ſuam & Imperii Dignitatem, Conſentire quidem, ut Tractatu, re infectâ, ſoluto, præſidia Suecica viciſſim Oſnabrugam introducantur; ſub hâc tamen conditione, ut idem de Monaſterio obſervetur. Verùm Legati Regnorum regerimus: Imprimis iniquum eſſe, ut cum Suecia in pacis favorem, educto præſidio Oſnabrugenſi, civitatem præſenti ſacramento exſolvat; eadem civitas adverſæ parti juramento obſtringatur. Sicut enim

 Impe-

Imperator nollet ſuos Legatos præſidiis Suecicis committere : Ita nec æquum eſſe, ut Regina Sueciæ ſuos concredat hoſtilibus : Salvum conductum Imperatoris antehâc non ſuffeciſſe, quo minùs Elector Saxoniæ Comitem Brandenſteinium interceptum ſqualoribus crudeliſſimi carceris ad mortem mancipârit. Neceſſium igitur eſſe, ut ſibi impoſterum meliùs proſpiciant ; adeoque ut dictæ civitates, durante ſaltem congreſſu, & utrinque declarentur neutrales, & utrique parti, per reverſale, caveant de omnimoda ſecuritate. Quo magis autem Imperator detrectat utrumque tractatum habere pro uno ; cò minùs Regna committendum ducere, ut ſeparentur. Nihil ſe detractum cupere dignitati vel Imperatoris vel Imperij : Sed nec, ut ipſe quidquam eorum dignitati detrahat, pati velle. Non eſſe rem inter ſuperiores & inferiores ; ſed inter ſuma utrinq; Imperia. Promittere verò, pace nō ſuccedēte, introductionem præſidij Suecici Oſnabrugam, ſub conditione ; id verò prorſus captioſum eſt. Cùm enim civitas Monaſterienſis nunc propria tantùm præſidia habeat ; non educenda, ſed ſub Imperio magiſtratus Vrbis, durante Tractatu, retinenda : minimè veriſimile eſt, eam, tali caſu, præſidia Imperatoris facilè admiſſuram ; atque ita, conditione ceſſante ; nec Oſnabrugam Suecica recepturam. Et qui præterea plures eius farinæ frivoli prætextus ſunt : qualis etiam eſt, quod Lutzovius oblitus ſit Imperatori titulum Potentiſſimi tribuere ; cum tamen is multò maio-

Imperator nollet ſuos Legatos præſidiis Suecicis committere ; ita nec æquum eſſe, ut Sereniſſima Regina ſuos concredat hoſtilibus. Salvum Conductum Imperatoris antehac nō ſuffeciſſe, quominus Elector Saxoniæ Comitem Brandenſteinium interceptum ſqualoribus crudeliſſimi carceris ad mortem mancipârit. Neceſſum igitur eſſe, ut nobis impoſterum meliùs proſpiciamus ; adeoque ut dictæ civitates durante ſaltem Congreſſu ; & utrinque declarentur neutrales, & utrique parti ; per reverſale caveant de omnimoda ſecuritate. Quo magis autem Imperator detrectat utrumque Tractatum habere pro uno, cò minùs Regno committendum ducere, ut ſeparentur. Nihil nos detractum cupere dignitati vel Imperatoris vel Imperij, ſed nec ut ipſe quicquam Regum noſtrorum dignitati detrahat, pati velle. Non eſſe rem inter ſuperiores & inferiores; ſed inter ſuma utrinq; Imperia. Promittere verò pace nō ſuccedente, introductionem præſidij Suecici Oſnabrugam ſub conditione, id verò prorſus captioſum eſt. Cùm enim civitas Monaſterienſis nunc propria tantum præſidia habeat, non educenda, ſed ſub imperio Magiſtratus Urbis durante Tractatu, retinenda : minimè veriſimile eſt, eam, tali caſu præſidia Imperatoris facilè admiſſuram : atque ita, conditione ceſſante, nec Oſnabrugam Suecica recepturam. Et qui præterea plures eius farinæ frivoli prætextus ſint: qualis etiam eſt, quòd Lutzovius oblitus ſit Imperatori titulum POTENTISSIMI tribuere;

maiorem tribuisset, nisi brevitas durationis Instrumenti, breviores quoque titulos tam Ipsi, quàm Regum Legatis, hâc vice, imperâsset. Sed quid mirum, bella tantùm animo volvêtes, eiusmodi passim obices progressui pacis opponere? Et tamen non pudet eos etiamnum, sparsis hinc inde fallacibus literis, Regna traducere, quasi ea tractatus remorentur: Cùm tamen uterque Regum, missis Hamburgum ratihabitionibus, & loca, & diem, & salvos conductus omnes singulosque (his enim tribus præliminaria tantum constant) omnimodè approbârint: eorumque Legati quotidiè parati sint, ad singula extradendum, iterque Osnabrugàm & Monasterium maturandum: modò idem quoque vellent Imperiales. Vale.

Datum ut in litteris die 12. (22) Aprilis.



cùm tamen is multo maiorem tribuisset; nisi brevitas durationis instrumenti breviores quoque titulos tam ipsi, quàm nobis Regum Legatis, haç vice imperasset. Sed quid mirum, bella tantum animo volventes, eiusmodi passim obices progressui Pacis opponere? Et tamen non pudet eos etiamnum sparsis hinc inde fallacibus litteris Regna traducere, quasi ea Tractatus remorentur: cùm tamen uterque Regum missis Hamburgum Ratihabitionibus, & Loca, & Diem, & Salvos conductus omnes singulosque (his enim tribus Præliminaria constant) omnimode approbarint: Nosque eorum Legati quotidie parati simus ad singula extradendum, iterque Osnabrugam & Monasterium maturandum: modò idem quoque vellent Austriaci. Vale. Datum ut in litteris 12. (22) Aprilis 1642.

Magnifica Dominationi Vestræ

Ad officia paratissimus

I. SALVIUS.

Num. III.

Num. III.

Exemplum Literarum.

AD SERENISSIMUM DANIÆ ET NORVEGIÆ REGEM

A GALLICO PER GERMANIAM LEgato Scriptarum.

DE

TRACTATIBUS PACIS,

SERENISSIME AC POTENTISSIME REX.

CUM assiduam Maiestatis Vestræ pro publica salute contentionem & cõtinuatos hactenus labores exceperit silentium, ex quo Viennenses ad ipsam literæ super Tractatu præliminarium pervenerunt, satis ex ista intermissione liquere potuit, Austriacos Maiestati Vestræ non approbasse suas tricas, qui prolixo scripto in omnes se partes versant ut Pactionis illius Vestræque adeo Maiestatis autoritatem detrectent. At vero Christianissimus Rex, ne & ipse silendo aut æquissimæ causæ

causæ defuisse, aut quòd adversa pars publicæ tranquillitati intervenerit, non ægrè admodum tulisse videretur, pec me animi dolorem sui & constans pacis, licet adhuc fugientis studium Maiestati Vestræ testatum voluit. Id sanè non modo pientissimum Regem, sed omnes bonos Christiani Orbis Principes malè habet, quod tot votis expetitum, tot consiliis & tractationibus præparatum de pace colloquium (cum Galliæ Sueciæque placitum Regiæ Ratihabitiones docuerint) solâ Domus Austriacæ declinatione eludatur. Nos quidem Serenissime Domine, miris modis antè hac delusi, Regnorum fœderatorum Legati, sensimus hostium artes, diximusque palàm (ubi illi ad concordiam propendere visi sunt) aliud nimirum agi, aliud simulari. Licebit mihi appellare memoriam Maiestatis Vestræ atque, ut puto, prudentius quàm qui eiusdem iudicium reiiciunt. Novit illa quantis flexibus negotium hoc impeditissimum fecerint, in id unum sedulò intenti, ut fœderatos diduceret. Procancellarium Imperii Curtzium olim huc miserunt qui nos conclusioni propiores cùm animadverteret, statim discessit, neque cur id faceret ullam rationem reddidit. Curtzio Lutzovium, Lutzovio Auerspergium substituerunt. Sed mutatis personis eadem semper fabula: provisum duntaxat volentes, ne per varias manus erranti negotio novamque subinde formam induenti certus aliquis modus finisve imponi possit. Neque in hac suorum subrogatione quievere: quin etiam (ut pergerent turbare) ipsis utiq; quos semel probaverât disceptandæ causæ Arbitris non steterunt, & novos nunc è Domo Brunsuicensi, nunc è Lauenburgica Mediatores, indecora Vestræ Maiestatis præteritione, non semel asciverunt. Sanè excusari verecundia eorum posset, quibus forsitan religio fuit Regiū nomē tot obtēdere ludibriis; nisi & ipso demū in hac postrema tractatione parū honestè usi essent, dū cui⁹ autoritate, sententiâ, sapientia perfectum fuerat ut iam pateret omnibus ad concordiam via, id apud ipsam Maiestatem Vestram & improbant, & improbandi causas non adferunt. Quàm decenter utrumque, ipsi viderint: Ego rem ut se habet recensebo ordine. Annus est ex quo Vestram apud Maiestatem cùm per litteras tum per Legatos non modo animum pacis cupidissimum præ se tulerunt, verùm etiam quotidie ab ea flagitabant, vt initium Conventus quantum fieri posset ocissime ipsa constitueret; passim per Germaniam concitantes sinistram de Regnis opinionem, & multa de cessatione Gallorum Succorumque conquesti. Quis adeo impatientibus votis non crederet? Igitur Maiestas Vestra vtriusque partis Ministros vrgere, suâ nos adhortatione & autoritate impellere, in eum denique locum rem deducere, vt spes futuri Congressus magna tum demum affulserit. Sed eam in dies labefactabant Austriaci; Salvos Conductus quos exhiberent, ex multis saltem aliquos habebant nec sine vitio: nostrorum verò nullus; neque in formula quicquam desiderabatur, nam & petitum ad adversa

parte titulum Christianissimus Rex studio pacis addi Salvis Conductibus jusserat, quos Maiestatis Vestræ Ministris legendos exscribendosque permisi. Unde manifestò constitit non retrogredi Gallos neque diverticula quærere, quin potius quacunque possunt compendiosiori viâ properare ad pacem. Deerat quoque a Rege Hispaniæ Legatus aut saltem procuratorium Mandatum: Imo pro illorum morositate satis mihi facturos profitebar, si vel autore Cardinali Infante Lutzovius negotium cum Hispanis commune susciperet. Sed nihil horum; perdidimus operam, ego Hamburgi, Madriti verò, & Bruxelli, Oratores Serenissimæ Reipublicæ Venetæ quibus spes expediendi illius mandati iniecta est centies. Idem affirmarunt Michaelis Salamancæ litteræ ad eiusdem Reipublicæ in Aula Christianissima Legatum non ita pridem datæ. Quid autem mirum si tam lubricos tamque elabendi certos constringere non potuimus? nonne ipsa Maiestas Vestra exeunte Novembri Viennam scripsit se sperare futurum ne Plenipotentia Hispanica contumacius protraheretur? At nec dum adest, Serenissime Rex, & cum his moribus videri ambiunt pacis amantissimi, quæ quomodo cohæreant, nemo non sentit. Defectum tantum cæteros que non paucos Lutzovius expleri posse ratus, proposuit sponsionem Maiestatis Vestræ; mihique (fatendum est enim) propter rei insolentiam non nihil nutanti fecit convitia, ubique dictitans rationem iniri mecum nullam posse quando tam commodâ non uterer. Scilicet ille, si Deo placet, impiger, & illius Principales de concludendo negotio valde solliciti, qui sub exitum diuturnæ tractationis toties, quid requireretur, admoniti egebant adhuc fidejussore; Ego lentus, & Galli publicæ tranquillitatis osores, quibus omnia erant in numerato. Nihilominus ne possent adversarij vel minimam suis tergiversationibus speciem juris inducere, accepi conditionem, paratus de præliminaribus pacisci modò Maiestas Vestra (quod pollicebantur) præstaret eventum. Inexpectatus, ut apparuit, consensus & liberale responsum nullo omnino usui fuit: Qui rem confectam, paulò ante, & jam jam secuturos Congressus magno promiserant hiatu, elingues facti sunt, & deferbuit ille ad pacem tantopere simulatus ardor. Sed nolim propterea grandem iis dicam scribere, nisi quatenus obliquando rursum, & perplexa ut solent faciendo omnia, sponsorem Regem paulò confidentius liti obtulerant: siquidem id in se recipere Maiestas Vestra quo pollet magnarum rerum usu, inconsultum duxit, non sibi satis constare professa de mente consiliisque contrariæ partis. Tum illi (ut suis se artibus involuerent) invidiam in omnes promiscuè derivare, nemini parcere, & quo sanctam pacis impatientiam melius venditarent, in ipsis quoque Mediatoribus diligentiam requirere. Magnum quid loquor, at verumtamen: certè hic, Rex Serenissime, crebrius nihil jactabatur ab eorum sequacibus, quam proces-

surum

furum expedite negotium si ab alio interprete vel etiam nullo administraretur. Nempe extremum hoc deerat ostentationis genus, ut tale quidpiam dicere auderent. Nos interim Sociorum Regnorum Ministri, ipsis jam haud diffidentibus adversariis, extra omnem culpæ affinitatem positi, si non spe optatæ pacis, at promoti per nos quacumque licuit optimi operis, & nostrâ & omnium conscientiâ fruebamur. Ibi diu res hæsit, donec Lutzovius acceptis tandem ab Aula Viennensi mandatis, ut ipse prædicabat amplissimis, novæ tractationi locum invenit. In eam nos statim ductu Maiestatis Vestræ sumus ingressi, & pro innata sperantibus credulitate, dum varia hinc inde agitantur, mensem nobis unum frustra exiisse vix sensimus. Cùm verò propius conferre pedem cœpissemus jamque in eo essemus ut definiretur aliquid certi, Lutzovius omnes sibi vias cunctandi occlusas cernens, insalutatis nobis derepente hinc sese proripuit, dignus Curtio hac in parte successor, desideratusque est totas sex hebdomadas. Interea de pacificatione vox nulla quàm quæ Goslariæ, ut quondam Pragæ, seorsim cudebatur, circumveniendis fœderatis belloque redintegrando accommoda. Nec defuere qui sessionem cum tractatione connecterent, candemque esse rationem utriusque affirmarent, ne si generalis pax imminere videretur, in ea videlicet mallent Celsissimi Duces Brunsuico-Luneburgenses, ut pote dignius tutiusque res suas agi. Ut ut sit, aberat quo cum tractaremus. Vix reversus cœpit in nos suo more invehi non secus ac si ipse hic permansisset, nos evasissemus. Sed ubi tertiò restituta est res, tertiò ille vel caruit vel carere se finxit petitis dudum litteris Salvi conductus, famosaque illa Plenipotentia Hispaniæ. Moram idcirco deprecatus Viennam se scripturum recepit. Quid faceremus? expectavimus, crebrò jam usu duratis ad huiusmodi patientiã animis. Longo exinde intervallo protulit sui Domini mandata, quæ in autographo Maiestas Vestra penes se asservari providè jussit, & hæc illum sistendi se nobis pro Hispano quoque capacem faciebant. Exhibuit & salvos conductus fere omnes (nam juvat aliqua semper ex parte retinere arbitrium rei.) Tum autem Vestræ Maiestati visum est Regiam expromissionem accommodare negotio, & de ratihabitione Tractatus qui circa præparatoria pacis universalis cum Legato Lutzovio iniretur, cavere. Poteram equidem jure optimo suspensam habere tantisper conclusionem, dum aut Regis Catholici aut certè Fratris consensus tandiu promissus ederetur: poteram graves suspicionis causas opponere, quod nimirum anni unius spatio tam expeditum fuerat Austriacis (modo pax cordi esset) ipsa instrumenta Salvorum conductuum & Plenipotentiæ Hispanicæ, quàm eorum pollicitationem huc transmittere. Idque eo fecissem iustius, quod sciebam tunc temporis eodem artificio frustra haberi Serenissimi Magnæ Britaniæ Regis Legatum, qui, post annum & quod excurrit, variis modis locisque cir-

circumductus, ne multi laboris fructum pro oppressis Maiestatis Vestræ Nepotibus ullum ferret, neve ad suos rediret aliis fortè consiliis rem acturos, susceperant Viennæ partes Hispanicas; ac si præsenti ibi iam pridem Hispanico Oratori potestas tractandi nulla nec esset, nec aliquando posset: ac si ille, non quà Legatus tantum, sed qua Hispanus Regis sui voluntatem minus exploratam haberet quam Germani, quibusque ab eodem Rege nec negotium in hac causa datum est, nec iudicium. Quid? quod dicere veritus non erat se habere quidem huius generis plenipotentiam suis permixtam chartis, sed quo pertineret non satis meminisse. Adeo sibi placent Austriaci, dum eiusmodi ambages consuunt quibus totum Orbem ludificant.. Hæc me exempla, Serenissime Domine, totque anteriores causæ, dubiam esse Imperialium fidem præsertim verò in rebus Hispanicis, & minime sequendam monebant. Accessione tamen Vestræ Maiestatis firmatus ostendere volui quàm liberaliter quamque libenter in tam illustri Expromissore conquiesceremus. Quod itaque felix faustumque foret, vestris auspiciis rem absolvimus: habendis Conciliis selecta sunt loca, & inchoandis dicta est dies, cautum denique qui Salvi conductus quave formà hinc inde prius commutandi essent. Quod tamen, quæso in istis omnibus abominabile illud est, quod tantopere aversantur Austriaci? aut quid sue censere Conventioni tam innocenti queunt? Ecce illam tamen irritam faciunt; quodque omnes Regio Maiestatis Vestræ consilio, Maiestas vestra Divino gestum ferebat, id datis ad eandem confidentissimè litteris subvertere & tantum non exprobare haud dubitant. At Legato Gallico defuit Plenipotentia, nam ita scribunt: & ipsemet fassus est se absque mandato convenisse. Næ illos potius defecit consilium, qui ad has nugas confugiunt, cùm ego & eorum & Maiestatis Vestræ Ministris sæpius ediderim factam mihi à Christianissimo Rege potestatem de præliminaribus deque ipsa pace transigendi. Quemadmodum Regia ipsius Ratificatio, quæ postea secuta est, id abundè demonstrat & locum dubitationi nullum relinquit. At fassus sum me absque mandato convenisse; imò verò planè diffiteor. Innuere volunt datas à me Vestram ad Maiestatem litteras, quibus peracta omnia cùm significarem, inserui forte, me præter usum rerum gerendarum ac præter ipsa mandata dixisse diem Congressui ante acceptos Salvos conductus. Nec igitur pepigi absque mandato, &c. circa unam duntaxat Tractatus particulam scripsi, extra Tractatum, Regi Mediatori, eoque tempore quo omnis iam meritò cessabat tractatio, me illius reverentiâ fines mandati nonnihil transiliisse, ne tam sancto operi ullum per me accideret impedimentum. Quòd si ex tali epistola non ex solenni Tractatu pactisque conventis ius petendum est, cur tacent quod ibidem subiunxi, atque etiam conceptis verbis spopondi, Regem Christianissimum impleturum abundè (ut & fecit) quicquid suarum esse partium ex præfata Conventione

ventione intelligeret. Rem miram, isti pacifici vitio mihi vertunt quòd promoverim pacem, & potestatis defectum non causat° uberem illis materiam eripuerim cùm detestandi nostras moras iactandique multa magnificè de studio suo, tum citra invidiam, quòd præcipuè optassent, à pacis consiliis discedendi. Sed ne verbosæ eorum epistolæ porrò responsurus eandem ipse prolixitatem cum Vestræ Maiestatis tædio usurpare cogar, attexui ad singula illius capita quod adstruendæ & tutandæ veritati necessarium fuit; atque ita recognitam hisce annecto. Si Vestræ Maiestati quid vacui temporis comites Regum curæ concesserint, non pigebit eam, ut arbitror, in rei huius causas & momenta penitiùs inquirere, &, si non nostris, at publicæ quietis hostibus indignari. Nec ipsos haud dubiè Electores Principesque Imperii tantus Austriacorum amor, aut tantum tenet avitæ libertatis fastidium (quam deinceps Germania suorum exulum numero censere potest) ut non etiam aperire oculos, non displicere velint, per utrum stet quo minus discedatur ab armis. Repetant saltem memoria quàm diffidenter secum sit actum, quamque perplexe communicatum fuerit hoc negotium pacis. Nuper enim Ratisbonæ dum anxii postulant edoceri quo res esset loco, quidve Hamburgi cum Legatis Gallico, Suecicoque tractasset Procancellarius Curtzius; plena illis & liquida facti enarratio sæpe promissa est, nunquam tamen secuta. Ita ut ne Imperii quidem Ordinibus ad eum præcipuè finem convocatis, & de ineunda pace deliberantibus, status causæ unquam vere innotuerit. Quæ loquor, plana sunt. Interfuerunt iisdem Comitiis & à Maiestate Vestra delegati, neque quisquam ibi fuit, qui non moleste ferret iis literis, quas ad socios Reges scripserunt, non nisi generalia quædam & indefinita contineri, quæ maturando Tractatui minùs idonea videbantur. Tali apud amicos quoque dissimulatione Austriacis uti visum est, ne si totum negotium permitterent iudicio eorum, quos ad concordiam proclives esse constabat, ipsi fortassis impellerentur quò pervenire nolebant.

Nempè fuit honestius, largitionibus multis, & iniquissimis legibus, pagorumque ad ipsius Austriæ fines ducentorum deditione ac servitute pacem Ottomanicam redimere, quàm *Germanicæ* operam dare. Nisi fortasse leve est; denegasse amico & venerando nomini Maiestatis Vestræ id, quod ab ipsis eodem omnino tempore Osman Aga, Mehemet Effendi, Trinar Tefftedar, & Mustapha Alai ultro delatũ acceperunt. Nam qui añus & mensis nobilitari debuit exordio fœderis totâ Christianitate sanciendi, is novissime inito in Austriacos Turcasq; fœderi inscriptus est.

Ad cuncta hæc quasi per se non satis gravia & omnibus bonis exosa ut aliquis veluti cumulus accederet, placuit adversariis dentro experiri, qua fraude commodissimè possent Suecos à fœderis societate divellere; ibi demum sui copiam facturi ubi semotis arbitris clam & precario pacem

 ita

ita cauponentur, ut pax non sit. Comes Auerſbergius cum apud Dominum Salvium per emiſſarios aliquot cius rei periculum fruſtra feciſſet, multis ſubinde precibus ab ipſo Majeſtatis Veſtræ non hos in uſus Deputato, Domino Langermanno, ægre impetravit, ut per eum quoque certior fieret idem Sereniſſimæ Reginæ Sueciæ Legatus ſe brevi inſtructum fore mandatis & Plenipotentiâ unde Regnum illud, modo res tantum ſuas agat, plus quam abunde ſibi ſatisfactum ſentiret. Nihil moratur tam ſtrenuos corruptores: & tunc, & ſæpe antea repulſam paſſi Lutzovium audenter ſummittunt, qui ſpecie honeſtatis tanquam valedicturus Suecico Legato & acceptum illi laturus commeatum, quem pro itineris ſui ſecuritate à Campiductore Torſtenſonio petierat, prima quidem hæc officij verba præfatus cœpit de Tractatu præliminarium & Declaratoriis ſui Domini literis dicere, quas Ratificationis loco haberi volebat. Sed graviſſimas rationes opponentem Suecicum Legatum & multa adhuc parãtem interpellavit alter (quippe qui de his ſermonem non inſtituerat niſi tranſitum ſibi facturus ad alia) ſumpſitque inde occaſionem reſpondendi: Etiamſi ratihabitus fuiſſet Tractatus, non tamen inveniri exitum potuiſſe tam arduo & multiformi negotio pacis univerſalis, Conſultius futurum, multoque magis è re Suecorum, ſi ſoli tranſigant. Et hoc quidem argumentum ab utili hunc locum copiosè tractavit, oſtenditque illis omnia Regna mundi & gloriam eorum, ſi fidei ſervantes, hoc eſt, ſi Succeſſe deſierint. Ni faciant, fore ut bellis implicentur æternis; quia nec Gallia magno tractandi deſiderio flagret (jam horruit dicere nullo) nec cui pacis generalitati conſentire videtur, illius aſſequendæ ratio reperiri ulla unquam poſſit. Plura in eandem ſententiam importunus orator congerebat, fatiſcente jam dudum auditore, qui tentatos toties ad faſtidium dolos tandem quoque riſu proſecutus eſt; velut merces obſoletas ſolemus, quæ ſæpius venales, ubi vitium tranſparuit, quodcumque etiam pretium ſtatuatur nemini tamen obtrudi poſſunt. Ex his Auſtriacorum quantumlibet irritis conatibus patet evidentiſſime, contra quod profeſſi ſunt, nihil eos minus in animo habere, quam Monaſterienſem & Oſnabrugenſem Congreſſum, & ſuarum utique artium fiduciâ Tractatus ſingulares, bello acrius perſequendo aptiſſimos, uno verbo Pragenſes, etiamnum moliri; coniunctos præfractè repudiare, quantâcumque cum ſuæ exiſtimationis jacturâ & mundi laborantis calamitate. Nemini contra non perſpectum eſt, quæ ad accelerandos Conventus conferre potuerint, eorum nihil à Chriſtianiſſimo Rege prætermiſſum; Ipſum ſtudio pacis ea tribuiſſe quibus aliàs nullo reſpectu ceſſurus fuit, denique Pactionem præliminariũ non cunctanter idque rebus ſuis ad votum fluentibus confirmaſſe. Et profectò nihil ſe per hoc malle quam ut publica repræſentetur tranquillitas, vel hoc ipſo luculenter docuit, quod ab inſtauratis cum Regno Sueciæ produ-

ctiſque

ctisque ad belli exitum fœderibus, statim assensu firmavit suo, quæcumque communi utrinque delegatorum sententiâ Regioque imprimis Vestræ Maiestatis interventu, in negotio pacis acta hic & constituta fuerunt. Cæterùm paris animi indicium ingente Austriaca cùm ne ullum quidem hactenus prodierit, quin & novissimum hunc Tractatū violarit sine religione, rem ad otium deduci impatiens, quasi in eo ingens aliquod commodum suum verfetur, si fracti ac debilitati Imperij Proceres magis magisque fiant opportuni iniuriæ: Ego quid hic ultra incassum morer non video. Itaque, Serenissime Rex, postquam sociorum Regum ac Principum usibus mandate Rege Christianissimo hinc prospexi, curavique pro mea mediocritate ne quid detrimenti causa communis accipiat, dum adversa pars libidine bellandi victa armis instet; illinc pacis tractationem quàm maxime aptam explicatamque confeci, discedo tandem è Germania. Facio id equidem cum summo doloris sensu, quòd pro quiete Nobilissimæ, quàm latè patet, Provinciæ, Christianitatisque totius sollicitum Regem meum in tam pio laudabilique instituto deseruerint Austriaci. Nec profectò minus cupidè expeto, ut eximiis ipsius pro publica tranquillitate studiis demum consentientes, causam ei præbeant brevi me ad Tractatus Pacis (cui meam negotio operam dicavit) in hasce oras iterum ablegandi. Supplicio Maiestati Vestræ per eam quoque abire mihi ut liceat, & repetitis obsequiis Regium retinere favorem, etiam cum ab ipsius Regnis longius abero, atque adeo ab illis quæ hic infrequentes non fuerunt; rerum cum ea gerendarum occasionibus. Quòd si meam toto hoc quinquennio vel superioribus temporibus operam atque observantiam Maiestati Vestræ ullā unquàm in re probavi, idem utique promereri haud segnius enitar ubicumque suorum honore mandatorum porrò dignabitur.

Serenissimæ Maiestatis Vestræ

Humillimum & Obsequentissimum scriptorem

CLAUDIUM DE MESMES

Hamburgi die 30. Maii 1642.

Num. IV.

No. IV.

Copia litterarum Salvij de 29. Septembris, Anno 1638.

AD CANCELLARIUM DANICUM EX GERMANICO IN LATINUM FIDELITER translatarum.



RÆMISSIS paratissimis meis ergà Excellentiam Vestram obsequiis: Colendissime Domine Cancellarie? Ex hesternis eiusdem litteris percepi, Legatum Cæsareum omnem obtinendorum in generalibus terminis salvorum conductuum spem præcidere atque ideò Regiam suam Maiestatem aliud conceptum perscribi mihique communicari iussisse (id quod mihi quoque traditum est) requirendo, ut meam superinde sententiam patefaciam, an obtentis iis absque ulla ulteriori cunctatione ad negotium principale progredi velim, & an eum in eventum non possit dies ad incuntem Novembr. præfigi. Vt igitur amicè respondeam, hæc etiamnum me sustentat spes, fore ut sin minus Duces Saxoniæ, Regia tamen Maiestas Daniæ pro suâ, quâ pollet, authoritate dictos salvos conductus absque distinctione illa inter reconciliatos, & non reconciliatos, uti & sine quæstione illâ, utrum ipsi per se vel per Regnorum Legatos causam suâ agere debeant, à Cæsare facilè obtineat. Quodsi verò id impossibile sit, Regia sua Maiestas Succiæ demùm potiùs in proposità

positâ à Regia Maiestate Daniæ formâ conquiescet, quàm ut ob istiusmodi clausulam Religione ac fœdere sibi coniunctos belli calamitatibus diutiùs patiatur divexari. Sed reservabit sibi expresse, quod eiusmodi acceptatio Statibus Imperii in iure ac iurisdictione suâ nunc, vel in futurum, nè minimum quidem præiudicare debeat, & quòd Maiestas sua nihilo seciùs tàm pro unis, quàm pro alteris, pro rei necessitate sit sponsura; Cæteroquin in prædicto concepto sunt duo verba per incuriam omissa, nempe, adhærentes, & veniant, quæ non dubito, quin Excellentia Vestra sit reposítura. Siquidem alii Coronæ Adhærentes, non Status, tàm opus habent salvis conductibus, quàm Status; ipsisque non solum liberum erit, ut mittant, sed etiam, si quispiam petierit, ut ipsi veniant. Quod si hoc correctum fuerit, & Regia sua Maiestas nihil meliùs, uti, dictum, obtinuerit, constitui sæpe memoratos salvos conductus eum in modum acceptare, & multò libentiùs ineunte, quàm præcipitante Novembri absque ullâ ulteriori cunctatione ad negotium principale procedere, nullatenus dubitans quin & Gallicanus Legatus huc sit condescensurus, intereà verò Colendissimum Dominum meum Cancellarium Divinæ protectioni comendo.

Colendissimi Domini mei

ad obsequia paratissimus

SALVIUS

Hamburgi 29. Septemb. 1638.



Num. V.

Copia Litterarum

SERENISSIMI REGIS DANIÆ

AD

CÆSAREAM MAJESTATEM

de prima Octobris Anni 1638.

EX

GERMANICO IN LATINUM FIdeliter translatarum.

SERENISSIME AC POTENTISSIME CÆSAR.



ILECTIONI ac Cæsareæ Majestati Vestræ singularia nostra amicitiæ officia, atque omne bonû Charissime Domine Consanguinee. Postquam Dilectio & Cæsarea Maiestas vestra ad contestandum pacis, tranquillitatisque cupidum animum suum Nobis interpositionem inter ipsam & Coronam Sueciæ suscipiendam detulit, & ad promovendos Lubecam indictos tractatus Procancellarium suum Dominum Comitem Curtzium in hasce oras cum plenipotentiâ ablegavit, non intermisimus (quad citra jactantiam dictum velimus) omnem curam atque operam pro virili tandem Nostrâ parte eo conferre, ut congressus institueretur, tractatusque inchoarentur. Quamquam igitur ab eo inde usque tempore in tractatione præliminarium diversæ atque aliæ ex alijs diffi-

difficultates enatæ sint, ita ut ad scopum optatum quantumcunque etiam desudatum sit, perveniri neque-dum potuerit, quin etiam multoties negotium desperationi proximum visum, nihilominus cognito singulari Dilectionis & Cęsareæ Majestatis Vestræ pacis, quietisque publicæ studio, animum tamen atque operam non despondimus; quin immò, quùm animadverteremus ex parte Coronæ Succiæ defectum apparere, Nos ipsi ad Succiæ Reginam, quo ipsam ad æquitatem permoveremus, legationem misimus, à quâ id responsi tulimus, quemadmodum Dilectio & Cæsarea Vestra Majestas ex exemplo collato & recognito, quod eiusdem Legato statim communicavimus ab eodem sibi submississimè referri curabit. Ex eo igitur, uti etiam ex reliquis omnibus, quæ hoc in negotio, à dimidio jam anno hinc inde tractata & peracta sunt, certò comperimus præter Salvos conductus, qui ex parte Coronarum Succiæ & Franciæ pro confœderatis suis ac Dependentibus in Germania desiderantur, nihil superesse, quod tractatus, in quibus inchoandis tot jam annis omni ex parte sudatur, amplius remorari possit: & dum negotium hoc reciprocis duntaxat contradictionib⁹ nullo operæ precio aut progressu detinetur, interea tamen tempus inutiliter elabi, feralemque belli procellam continuis cædibus, agrorum depopulationibus, quibus Sacro Romano Imperio eiusque Florentissimis antea Provinciis gravissima jam propemodum Vastitas illata est, magis indies magisque recrudescere. Quapropter facere non potuimus, quin delati Nobis ab vnâ & alterâ parte muneris memores conceptum aliquod (nullo tamen præscribendi animo; vti Dilectio & Cæsarea Majestas Vestra hic sub N°. I. videre poterit) perscribendum curaremus, & super hoc non solum Cæsarei sui, quàm etiam Succici Hamburgi commorantis Legati iudicium requireremus; Quid iam responsi ex illa parte in scripto datum sit, id hîc in apographo sub Num. 2. adiunctum est; & optassemus sane ex hac quoque parte similem vicissim videre resolutionem, ut tandem aliquando absque ulteriori procrastinatione super die condiendo certi aliquid transigi posset. Sed Dilectionis & Cæsareæ Vestræ Maiestatis Legatus hoc loci excusatione usus est, totâ super re ad eandem se remittendo, Nosque simul monendo, uti Nobis placeret Eidem id communicare, quod ipse esset omni meliore modo commendaturus.

Quando igitur nullâ in re ad tam necessarium, totque ardentibus votis expetitum pacis opus promovendum conducente partes Nostras vllatenus desiderari vellemus: tanto facilius in hoc consensimus, hac certâ in Dilectione & Cæsarea Majestate Vestra fixâ Spe, ac fiduciâ, quandoquidem in prædicto Nostro concepto non longè à Cæsareâ suâ intentione discesserimus, fore, ut eadem hasce Nostras ex optimo animo profectas, & in tam laudabili, ac tanto cum ardore quæsito scopo obtinendo defixas curas & cogitationes nullo modo repudiet, quin potius ex singulari Christianæ pietatis affectu, amore patriæ, tum e-

tum gratioso Cæsareæ benignitatis desiderio decumanam hanc atrocissimæ calamitatis procellam tandem aliquando dispellendi, non solum sæpedictum conceptum Nostrum Cæsareo suo consensu volens favensque approbet, sed etiam, quum apud partem adversam Regij Nostri conatus & labores id effecerint, ut in præcipuis punctis, qui hactenus in disceptatione versabantur, consensum suum dederit, duorum in Suecici Legati Salvij sub No 2. expressorum verborum appositione de vniverso Christiano nomine optimè mereatur, ejusque salutem suscipiat promovendam, adeoque ipsos Salvos Conductus eum in modum in prototypo perscriptos Nobis primo quoque tẽpore transmittat. Id quod à dilectione & Cæsarea Majestate Vestra enixè poscimus, hac insuper datâ fide, nullum ex illis in manus partis adversæ extraditum iri, antequam & ipsa præstet securitatem, quod absque ullâ longiori tergiversatione ad tractatus procedere, & tandem ipsos reapse velit inchoare.

Præterea Dilectionem & Majestatem Vestram Cæsaream celare noluimus, à parte adversa cum Nostris ratione loci tractatuum actum esse, & quum Lubecæ contagio grassari inceperit, Civitatem Hamburgensem, tãquam locum rebus omnibus ad talem conventum necessariis abundè instructum, propositum; Quando igitur eandem planè ob causam, Dilectionis & Cæsareæ Vestræ Majestatis Legati animus ab eodem loco non videtur abhorrere, prout ipsemet ad eandem submissè referet; Idcircò eandem amicè, studiosè & obsequenter requirimus, vti suis benignè dignetur mandare, quo & hoc in expeditione Salvorum Conductuum attendatur, exprimaturque, quod, postulante id genus necessitate, tractatus Lubecæ vel Hamburgi possint institui. In eo Dilectio & Cæsarea Majestas Vestra fecerit rem supremæ Divinitati gratissimam, ad immortalem nominis sui gloriam, communem Sacri Imperij Charissimæ patriæ Salutem, tùm complurium myriadum animarum afflictarum solatium spectantem, & Nos gratissimis erga eandem amicitiæ officijs paria facere semper studebimus. Quam hisce Dei optimi maximi tutelæ sedulò commendamus. Datum Gluksburg. 1. Octobris. 1638.

* * *

Num VI.



Num. VI.

Extractus responsi Cæsarei, de 17. Nouembris Anni. 1.6 3 8.

Ad litteras

REGIS DANIÆ

Ex

GERMANICO IN LATINVM FIDEliter translati.

FERDINANDUS TERTIVS, &c.



ILECTIONIS Vestræ gratissimas literas calendis Octobr. proximè præteritis datas ritè accepimus, atque exijs fusiùs iutelleximus, quam singulari curâ Dilectio Vestra in propositam cum Reginâ Regnoque Sueciæ pacis Tractationem incumbat, idque apud partem adversam enixiori suâ operâ effecerit, vt Salvos conductus, quorum nobis Dilectio Vestra auctor fuit, perscripto modo acceptârit; adeoque si à nobis itidem illi fuerint approbati ad congressum tractatuum principalium progressuram se se declarârit.

Quemadmodum igitur vel ex eo ardens Dilectionis Vestræ erga al-

mam pacem tranquillitatemque Sacro Romano Imperio, Dilectissimæ patriæ nostræ Germaniæ restituendam studium cognoscimus: ita condecentes Dilectioni Vestræ pro insumptâ in hanc rem sollicitudine suâ gratias agimus. Atque ideircò consideratis gravibus à Dilectione Vestra adductis rationibus, & contestandi propensissimi ad pacem animi nostri causâ in prædictam Salvorum conductuum formulam iuxta Dilectionis Vestræ consilium & requisitionem consensimus, & eorundem prototypa, quorum apographa heic sunt adiuncta, Legato nostro & Imperii Procancellario Comiti Curtio transmisimus, ut quum dies congressus condicta fuerit, Dilectioni Vestræ ea extradat; Prout etiam ad loci pro cōgressu denominationem quod attinet, Dilectionis Vestræ arbitrio permittimus, utrum ipsi ad Tractatus principales civitatem Hamburgum aut Lubecam denominare placeat. De cætero Dilectioni Vestræ sincerum benevolentiæ nostræ Cæsareæ affectum prolixè offerimus. Viennæ 17. Novembris, Anno 1658.



Num. VII.




No. VII.

Copia litterarum
REGIS DANIÆ
AD
Salvium de dato 4. Decembris, Anni 1638.

EX

GERMANICO IN LATINUM FIDELITER translatarum.

CHRISTIANUS QUARTUS, &c.



AD nos Honorabilis Consiliarius noster & fidelis dilectus Ditlouius Reuentlovv in Retz & Zisendorff submissè retulit in colloquio, quod ipse vobiscum in extraditione apographorum Cæsareorum ad tractatus pacis expeditorum Saluorum Conductuum habuit, scrupulos aliquos & obstacula, quare in condicendum inchoandorum Tractatuum certum diem nondum possitis consentire, mota atque interiecta fuisse; Nimirum quod cognati nostri Bernardi Saxoniæ, Iuliæ, Cliuiæ & Montium Ducis Dilectoni titulus Illustrissimi


datus

datus non fuerit; Quod deficeret etiamnum Saluus Conductus pro Landgrauia Hassiæ Viduâ; Tum etiam apographa Saluorum Conductuum pro confœderatis Coronæ Franciæ nequedum Coloniam sint transmissa.

Quum itaque nos sat grauiter afficiat, quod tam salutare negotium, in quod universa propemodum Europa oculos intentos habet, alijs ex alijs interiectis remoris interturbetur; Idcircò extemplò hac super re ad Cæsareæ Maiestatis & Dilectionis suæ Legatum, & Sacri Romani Imperij Pro-Cancellarium Dominum Comitem Curtium perscripsimus, qui Nobis vicissim hoc responsi dedit; quoad Saluum conductum pro duce Bernardo, eum secundum conceptũ ipsi Comiti Curtio traditum de verbo ad verbum esse perscriptum; Saluum autem conductum pro Landgrauia, se vnà cum alijs in manibus suis habere, prout nobis eiusdem exemplum transmisit, quod hic apponendum curauimus. Ratione Saluorum conductuum pro confœderatis Coronæ Franciæ nihilo seciùs assecurat, eos similiter expeditos & Coloniam iam esse transmissos, id quòd ipsamet Cæsarea Maiestas & Dilectio sua ad nos quoque perscripsit, tùm Legatus præterea Generalis Salui Conductus heic adiunctum apographum nobis transmisit: Quando igitur eiusmodi assecurationibus meritò figendum, neque nos vllatenùs dubitamus, quin vel mediantibus ipsis omnes iam moti scrupuli submoueantur penitus, tollanturque. Eapropter Vos denuò benignè requirimus, vt quando Cæsarea Maiestas & Dilectio sua super omnibus, quæ ab eadem, ratione promouendorum tractatuum, postulata sunt, optimè sanè ac benignissimè sese declarauit, & gratiosam suam intentionem reapse comprobauit, vos quoque propius ad scopum accedere, & iuxta diligentissimas requisitiones nostras certum aliquem diem ad tractatus denominare, ac constituere velitis. Quâ facta diei assignatione Salui Conductus reciprocè extradantur. Hoc ipso tam salutaris & à multis myriadibus animarum ardentissimis votis expediti negotij, progressum promouebitis, tùm factam nobis sæpiùs spem atque expectationem adimplebitis. De cætero constanti Regii nostri fauoris ac propensioris animi affectu vos complectimur. Datum Glucksburgi 4. Decembr. 1638.

* * *

Num. VIII.



Num. VIII.

Copia Plenipotentiæ;

PRO

CONRADO A LUZZAU
Ad Tractandum cum plenipotentiariis Suecicis.



NOS Ferdinandus Tertius Divinâ favẽte clementia electus Romanorũ Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ &c. Rex Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Wirtembergæ; &c. Comes Tyrolis, &c. Universis & singulis, quorum interest, aut quomodolibet interesse potest, notum testatumque facimus. Postquàm ab aliquo tempore primùm inter Divum Patrem nostrum Serenissimum ac potentissimum Principem Dominum Ferdinandum secundum Romanorum electum Imperatorem semper Augustum, Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, &c. Regem, Archiducem Austriæ, Ducem Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ. Carniolæ & Wirtembergæ, Comitem Habspurgi & Tyrolis, &c. pientissimæ ac gloriosissimæ memoriæ; Deinde etiam inter Nos, sociosque nostros ab una parte; Et Serenissimum quondam Principem, Dominum Gustaphum Adolphum Succorum, Gothorum, Wandalorumque Regem, Magnum Principem Finlandiæ, Ducem Esthoniæ, & Careliæ, Ingriæque Dominum; Ac post eius è vita discessum, inter modernam Serenissimam Principem Dominam Christianam, Succorũ, Gothorũ, Wandalorumq; designatam Reginã, & Principem hæreditariam, Magnam Principem Finlandiæ, Ducissam Esthoniæ & Careliæ Ingriæque Dominam, eiusque confœderatos & adherentes ex alterâ parte, non sine multâ Sanguinis Chri-

ſtiani profuſione & multarum Germaniæ Provinciarum deſolatione, armis ſatis vehementer decertatum: Ipſa verò humanitatis ratio flagitet, ut de pace ac tranquillitate reſtituẽdâ, ac belli motibus ſedandis cogitatio utrinque ſuſcipiatur: Nos ſicuti hunc ſemper armorum noſtrorum ſcopum propoſitum habuimus; Ita nequid à parte Noſtra deſit, quod ad tam ſalutare negotium adprehendendum promovendumque pertinere ullo modo poterit; in mandatis propterea dedimus, & commiſimus, ſicuti & vigore harum in mandatis damus, & committimus Noſtro & Sacri Imperij fideli dilecto Conrado à Luzzau noſtro Conſiliario Imperiali aulico, eique plenam ac tantæ rei ſufficientem poteſtatem tribuimus, ut ſi aliqua occaſio cum Serenitate ſua eius tractandæ offeratur, eam Noſtro nomine decenter acceptet, & cum iis, quos ſua Serenitas ad hanc rem legitimis ac ſufficientibus mandatis ac plenipotentia inſtructos conſtituit, aut impoſterum conſtituere poterit, Commiſſariis, vel ipſe, vel per ſubdelegatos ſuos congrediatur, tractet, agat, ſtatuat, de viis, mediis, ac conditionibus omnibus quibus propoſitus utrinque ſcopus, amicitiæ nimirum, ac pacis redintegratio obtineri ac ſtabiliri poſſit. Quicquid igitur dictus Commiſſarius noſter cum adverſæ partis Commiſſariis, vel eorum ſubdelegatis in hunc finem, ſivè per ſuos ſubdelegatos tractaverit, egerit ac ſtatuerit, id nos omni meliori modo ratum gratumque habituros vigore harum Imperiali ac inviolabili fide promittimus. In quorum fidem roburque præſentes manu noſtra ſubſcriptas ſigillo noſtro Imepratorio muniri juſſimus. Quæ dabantur in noſtra & Sacri Imperij Civitate Ratiſbonâ die Decemb. Anno 1640.

* *
* *

Num. 9.



Num. 9.

Copia litterarum ad Luzzovium de 19. Iunii, Anni 1641.

EX

GERMANICO IN LATINUM fideliter translatarum.

FERDINANDUS III. &c.



FIDELIS DIlecte. Non dubitamus, quin tibi iam probè innotuerit, quam enixè in præsentib⁹ Imperialibus Comitiis congregati Electores, Principes, ac Status Imperii, & absentium Consiliarii, Legati, ac Deputati, ad Reginam ac Status Regni Sueciæ super promovendis maturandisque pacis tractatibus perscripserint, earumque litterarum apographa pro certiori tuâ informatione sub A. B. & C. heîc habes apposita.

Quando igitur proximo elapso Mense Maio tàm à dictæ Reginæ Tutoribus & administratoribus, quàm etiam ab Ordinibus Regni Sueciæ responsa ad omnes Imperii Status, tum ad Electorales Moguntinos Cōsiliarios peculiares à demortuo Sueciæ militiæ Supremo Ductore Banerio eius argumenti litteræ (ut sub D. E. F.) allatæ sunt; ex iisdem poteris percipere, Reginam, Coronamque Sueciæ constituisse alia conventuum loca, ad Gallicanos nimirum tractatus Monasterium, ad Suecicos verò Osnabrugam oppida designare. Quale Nobis votum prædicti Electores Principes, ac Status, tùm absentium Consiliarii, Legati, & Deputati eâ super re coniunctim aperuerint, adiuncta littera, G. fusius declarat.

Tametsi verò Nos tàm ex præmemoratæ Reginæ Tutorum atque Administratorum, quàm etiam Statuum Regni Sueciæ litteris facilè colligamus

mus, propositam locorum mutationem, duntaxat ad occupandum longius tempus, & ad fœderis, quod inter utramque Sueciæ & Franciæ Coronam antehac ictum fuit, & denuò, uti fertur, renovatum, prorogationem spectare; atque etiam nunc planè dubium sit, utrum Corona Franciæ in hæc de novo denominata loca consenserit, consensuravè sit; Veruntamen hisce omnibus insuper habitis, ut in sincerâ Nostrâ Cæsareâ intentione, quâ impensius ad tranquillandum pacandumque Sacrum Romanum Imperium, tùm ad conciliandam stabiliendamque cum vicinis Regibus ac Dynastis amicitiam reapse contestanda nihil à Nobis patiamur desiderari; Iam dudum transmissos Salvos Conductus in renovatis prototypis tibi denuò, relicto vacuo saltem pro locis ac tempore cõdicendis spatio, transmittere voluimus. Atque idcircò tibi benignè præcipimus, uti Salvium primo quoque tempore adeas, eique exponas, quid à Reginâ Coronaque Sueciæ ad Electores Principes ac Status Imperii ratione locorum, Monasteriensis nimirũ & Osnabrugẽsis Oppidorum, ad tractatus pacis designatorum relatum sit; Quodque ipse Salvius pro suâ prudentiâ facilè dispicere, atque ipsi etiam d'Auauxio indicare possit, mutatione istâ pacem parùm promotum, quin potiùs disturbatum iri, ac plurimum fortasse an temporis incassum dilapsurum; locis ad tractatus præstitutis, Coloniâ nimirùm & Lubecâ partes hactenus fuisse contentas; à Nobis Legatos Nostros à quatuor iam inde usque annis Coloniam missos & Hamburgi nihil omissum fuisse, quod ad provehendos tractatus ullo modo pertinere potuerit. Hisce atque id genus aliis idoneis atque efficacibus adductis rationibus adnitêris, Salvio & per ipsum d'Auauxio persuadere, quo Tractatus Gallicos Coloniæ, Suecicos verò Lubecæ vel Hamburgi porrò peragi patiantur; Id verò si obtineri non possit., Wormatiam pro Gallicis Francofordiam verò ad Mœnum pro Suecicis, loca quippe non longè ab invicem dissita, & unde faciliùs una alterave Corona communicationem tàm litterarum, quàm consiliorum habere possit, propones. Quod si neque in hoc condescendere voluerint, sed fortasse Salvius necessitatem ulteriorum mandatorum sit causaturus, Nos demum in denominatione Monasteriensis ad Gallicos videlicet & Osnabrugensis Oppidi ad Suecicos tractatus factâ lubentes conquiescimus: Veruntamen tibi hoc in primis cordi curæque sumes, negotiumque hoc eò diriges, ut quando Osnabruga pro Tractatibus Suecicis acceptetur, præsidium Suecicum prius inde educatur.

Ad tempus quod attinet; Nos Electorum Principum ac Statuum, & absentium Consiliariorum, Legatorum ac deputatorum subministrato Nobis consilio, propositæque gradatim procedendi viæ clementer insistimus, nimirum, quod tractatus isti intra duos, & si hâc super re pars adversa difficultatem aliquam movere; ac terminum, intra quem longius producendum intendat, intra tres menses, & si neque hoc sperari possit,

mini-

minimum ad festum S. Michaeli Archangelo solenne proximè venturum, realem suum debeant sortiri effectum. Quicquid igitur cum dicto Salvio & per ipsum cum d' Avauxio tàm super locis, quam tempore transegeris, & concluseris, id extemplò in vacua tibi relicta spatia inscribere, ac Salvos Conductus iuxta præscriptum tibi in data instructione modum convenientibus in locis extradere, & ad Gallicos tractatus spectantes, Cæsareis Nostris Commissariis (si Salvius vel d' Avauxius ipsos Hamburgi non petat) Coloniam poteris transmittere: Siquidem nos iam dictos Commissarios Nostros de totâ expeditione reddidimus certiores. Id quod tibi pro informatione atque instructione perscribendum benignè duximus, submissam tuam hâc super re relationem clementer præstolaturi, qui de reliquo gratia Nostrâ Cæsareâ te benigne complectimur.

Ratisbonæ 19. Junii 1641.

Num. X.

Extractus litterarum Deputatorum Electoralium Principum ac Statuum Rom: Imperii ad Reginam Sueciæ de 4. Iulii, Anni 1641.



AD nostram etiam intercessionem factum est, ut Imperatoria Maiestas Salvos Conductus pro Legatis Coronæ tàm Galliæ, quam Sueciæ conscriptos in iis locis, prout legato Regis Daniæ insinuatum fuit, emendaverit, & sic emendatos legato & Residenti suo Luzovio Hamburgum transmiserit, simulque in mandatis dederit, ut cum utriusque Coronæ ibidem commorantibus legatis de certis locis & die quoad tractatus instituendos conferat & conveniat, neque dubitamus. Si Regia Vestra Dignitas cœptis vestigiis deinceps institerit, & pari studio pacificationi promovendæ operam impenderit, brevi & Imperio totique orbi Christiano pacem restitutum iri, ut autem

idem facere omniaque maturare & non tantum ad eum locum & diem, de quibus Hamburgi ad supradictum modum conventum erit, suos legatos cum pleno mandato quantocyus ablegare, sed etiam tàm pro Electorum quàm aliorum Principum & Civitatum Imperialium ad Pacificationem deputatis legatis sufficientes dicto Luzovio exhibendas Salvi Conductus litteras transmittere velit, obnixè efflagitamus.

Num. 11.

Copia litterarum Cæsarearum

Ad

CONRADVM A LVZZAV, DE 6. Augusti Anni 1641.

EX

GERMANICO IN LATINVM FIDEliter translatarum.

FERDINANDUS III. DIVINA FAVENTE Clementia Electus Romanorum Imperator semper Augustus, &c.



IDELIS DILEcte, accepimus literas tuas decima sexta Iulij datas vnà cum relationis 13. Iulij præscriptæ (cuius prototypon ad nos non pervenit) exemplo atque ex ijs fusiùs percepimus, sub quarum causarum excusatione Salvius pro te cum D' Avauxio super die ac locis tractatibus pacis præfigendis quicquam agere abnuerit, sed immediatè per te id cum ipso d' Auaxio absque suâ Salvij interventione conficiendum indicarit, & quem in modum tu ipsi verbotenùs responderis; atque ulteriora à nobis mandata petas, quomodo deinceps vnâ alterâvè in re te gerere debeas, id quod etiam in litteris tertiâ & vigesimâ Iulij perscriptis, Nobisque vnâ cum inclusis rite traditis repetijsti.

Hisce tibi itaque per benignè præcipimus,

cipimus, ut imprimis ſedulò perquiras, vtrum in abſentiâ Sereniſſimi Daniæ Regis, Miniſtri ejuſdem illic loci verſentur, mandatisque ad accipiendos tractandosque Saluos conductus inſtructi ſint: Hoc itaque comperto ipſis denunties, Nos jam benignè conſtituiſſe Cæſareos noſtros Salvos conductus Reginæ & Coronæ Sueciæ Legato Salvio Coloniam & Lubecam, vel Monaſterium & Oſnabrugam verſus vtrocumque tandem Frãciæ ac Succiæ Coronis placuerit, per te meditantibus Sereniſſimi Daniæ Regis Miniſtris, ſiquidem ad id mandata habeant, extradere, ita tamen, ut ipſe, Salvius, viciſſim neceſſarios, qui ex parte noſtra deſiderantur, Salvos conductus in debita formâ, & quidem Coloniam & Lubecam, vel Monaſterium & Oſnabrugam, vtrocumque tandem locorum concluſum fuerit, directos ijsdem Miniſtris, & iſti tibi extradant.

Quod ſi verò dicti Sereniſſimi Regis Daniæ Miniſtri illic loci ejusmodiuè mandatis inſtructi non forent, immediatè ipſi Salvio, redimendi temporis causâ, indicabis, te in mandatis habere, ut quocunque tandem locorum Franciæ ac Succiæ Coronæ ſive Coloniam & Lubecam, ſivè Monaſterium & Oſnabrugam Salvos Conductus voluerint directos, Cæſareos noſtros ipſi extradas, & reciprocè pro noſtris neceſſarios iuxtà modum jam pactum & conventum ab eodem recipias: quemadmodum tibi hiſcè benignè iniungimus, ut jam memorato modo ſæpedictos Salvos Conductus utrocumquè locorum ipſos petierint, des pariter & accipias: Sin autem dictus Salvius abſente Legato Gallico (quamquam non videamus, quid hac ſuper re cum ipſo tractandum ſit, ſiquidem ipſius Salvij declaratione, & in eorum quos penes te habes, Saluorum Conductuum acceptatione, utrocumque locorum Salvos Conductus habere voluerit, totius negotij vertitur cardo) ſeſe declarare noluerit, tùm Nos benignè ſumus contenti, ut ipſi Salvio coram Gallico Legato benignam mentem noſtram aperias, ita tamen ut ante omnia ſufficienter aſſecuratus ſis, quod te d'Avauxius hoc in colloquio non ſecùs ac noſtrum & quidem Cæſareum Miniſtrum ac Reſidentem Tractaturus ſit.

Adhæc tibi clementer mandamus, vt in hoc colloquio, aut immeditatè, aut ſi Sereniſſimi Regis Daniæ Miniſtri eo loci fuerint, negociumque hoc ſtatim capeſcere voluerint, mediantibus ipſis, te erga ſæpedictum Saluium ita declares; Te, quandoquidem ratione Saluorum Conductuum ac loci congreſſus jam confectum ſit, habere in mandatis, ut, diem inchoandi reuera congreſſus ab ipſo reſciſcas, noſtroque nomine ipſi denunties, quantò maturiùs ipſis poſitum fuerit initium, tanto Nobis fore gratius chariusque, atque exindè etiam ſi fortè is diem longius vellet protrahere, ſedulò ipſum monebis, inſtabisque, vt tandem congreſſus huius exordium realem ſortiatur effectum:

Præterea etiam cum eodem Salvio tranſiges ſuper Suecici præſidij Oſna-

Osnabrugæ impositi editione: ac demum si fortè ob sæpememorati Serenissimi Regis Daniæ Ministrorum absentiam vel defectum sufficientis mandati meditatione ipsorum vti nō possis, de omnibus, quæ hoc loci agentur, quamprimum ad eundem Serenissimum Regem perscribes.

Cæterum quam vlteriorem Nobis Electores Principes ac Status super instructione tibi decimâ nonâ Junij transmissa ipsis communicata consultationem exhibuerunt, eam vnâ cum inclusione omnium hûc spectantium scriptorum, & simul quæ sub dato hodierno ad Deputatos nostros Coloniam perscripsimus, tibi hisce transmittimus. Quicquid igitur unà alteravè in re confeceris, super eo submissam tuam præstolamur relationem, qui de cætero gratiâ nostrâ Cæsareâ tibi benignè inclinamur. Ratisbonæ 6. Augusti anno 1641.

Num. 12.

Copia litterarum Cæsarearum ad deputatos Coloniæ de 25. Septemb. Anno 1641.

Ex

GERMANICO IN LATINVM FIDEliter translati.

FERDINANDVS III. &c.



LLUSTRIS & Magnifice, nec non honorabilis docte, fideles delecti. Litteræ Vestræ Undevicesimâ huius exaratæ unà cum postscripto, & inclusis Veneti in Aulà Gallicanâ commorantis Legati prototypis ritè nobis sunt traditæ, ex iisque inter cætera percepimus, Coronam Galliæ præter reliquos Salvos conductus alium etiam pro Ducissâ Sabaudiæ Viduâ, & quidem tanquam Tutrice filii sui pupilli minorennis, & eiusdem ditionum Administratrice, & Regente, tùm pariter alium pro

con-

confœderatis Belgij Ordinibus petere.

Quemadmodum igitur, quoad transcriptionem (1) pro confœderatis Coronæ Franciæ, tùm (2) pro Comite Palatino Carolo Ludovico omissis clausulis (per se vel per plenipotentiarios Serenitatis suæ,) Deinde (3) pro Plenipotentiariis Electoris Trevirensis: Præterea (4) pro Ducibus Brunsvvicensibus ac Luneburgensibus: Ac demum pro confœderatis Belgij Ordinibus petitorum Salvorum Conductuum nulla penitus à Nobis mora est, aut difficultas; Adeoque vobis unumquemque eorum petito modo benignè transmittimus, (quantumvis admodo dictos Ordines Belgij confœderatos, quod attinet, nullo prorsus ipsis opus sit Salvo Conductu, quippe cum quibus nos, sacrumve Romanum Imperium nullum bellum gerimus, prout etiam tum anno 1636. confœderatorum Ordinum Ablegatus Foppius ab Aisema, quum ipsis ad instantiam Magni Ducis Hetruriæ publicæ fidei ac securitatis litteræ ad tractatus istos datæ essent, hac ipsâ de causâ eas reddidit) Ita & cum id, quod pro parte Ducissæ Sabaudiæ movetur, ita se habeat, ut potius ad tractatus ipsos remittendum, quam in hisce præliminaribus disceptandū sit, nec simile quicquam pro ullâ Germanicæ Italicævè nationis Viduâ aut Tutrice fuerit postulatum; Pro sæpedictâ tamen Ducissa Vidua hic inclusum eiusmodi transmittimus Salvum Conductum, in quo ipsa, uti & alij facilè conquiescere, & ad tractatus ad procurandas ibi res suas venire poterit: Ac proindè vobis benignè mandamus, ut hæc omnia Legato Veneto juxta litteram perscribatis, & adiunctos Salvos Conductus transmittatis, simulque significetis; nos utique benignè confidere, quod ipse tandem etiam Salvos Conductus à Corona Franciæ expeditos absq; ulteriori dilatione transmissurus, uti & ipsa Corona Plenipotētiarios suos omni submotâ longiori procrastinatione ad locum designatum sit ablegatura. Quid ad nos Consiliarius Imperialis Aulicus ac Residens noster, Hamburgi Conradus à Luzzau tertio & decimo huius hoc super negocio submissè perscripserit, & nos ipsi vicissim rescripserimus, id ex adiunctis apographis percipietis; Neque enim vos pro certiori vestrâ directione celandos putavimus; De cætero gratiâ nostrâ Cæsareâ vos benignè complectentes. Ratisbonæ 5. Septembris 1641.

K Num XIII.

Num. XIII.

Copia Litterarum Cæſ: ad Luzzovium de 26. Septembris Anni 1641.

EX

GERMANICO IN LATINVM FIdeliter translatarum.

FERDINANDVS III. &c.



IDELIS DIlecte, litteras tuas de 3. & 10. huius, quibus, quid tua mediantibus Regis Daniæ Deputatis cum vtrisque Gallico & Suecico Legatis habita tractatio in ſe contineat, ſubmiſſiſſimè refers, prout & ea, quæ hâc de cauſa ad dictum Daniæ Regem cum eiuſdem in hac cauſa Deputato perſcripſiſti, benè accepimus. Quod igitur ad Saluos Conductus pro Deputatis Treuirenſibus attinet, eos hiſce incluſos habes. Secundo recipis pro Ducibus Luneburgenſibus etiam cum expreſſione verborum ad inſtantiam Regis Chriſtianiſſimi; Prout tertio pro Duciſſa Sabaudiæ Vidua. Pluribus etiam ex adjacentibus noſtris ad noſtros Coloniam Deputatos Legatos emanatis litteris intelligis, quibus de cauſis Saluus Conductus cum petito titulo tibi pro nunc minus tranſmittatur: Poteris itaque ſæpedictum Regem de his tibi tranſmiſſis vlterioribus requiſitis informare, eundêque noſtro nomine requirere, vt ſibi complaceat, quò mediantibus ſuis opus tandem ſortiatur effectum; Eundem etiam de cauſis, cur Duciſſa Sabaudiæ in Saluo Conductu à Nobis Regens vel Tutrix pro tempore non nominetur, ſicut noſtris Coloniam Deputatis injunctum eſt, ad litteram informabis: Quod verò ad id attinet, ſi Rex Hiſpaniæ vel Cardinalis Infans locum & tempus tractandæ pacis approbare vel ex ſuis quempiam Hamburgum mittere, vel tibi in his plenipotentiam

potentiam dare debeat, mediantibus Regis Ministris Legatum Gallicum assecurare poteris(prout & hisce in Nos receptum volumus) quod loca Conventus à Nobis approbata præfato Regi non sint displicitura, quin imò ratione temporis videlicet, quo citius eò melius, Nobiscum consensurus sit. Nos dicti Regis authoritati relinquimus, quod tempus & terminum ad inchoandos tractat⁹ apud præfatum Legatum eligere velit, Nobisque & præfato Regi brevissimus terminus erit acceptissimus. Tibi etiam transmittimus, quæ orator Venetus ad Nostros Legatos Coloniæ perscripsit, quidque desuper nostris istic injungimus. Et cum vigore adjunctę listæ omnium Saluorum Conductuum nil restet ad congressum & Tractatum necessarium; Confidimus tandem certum eorundem initium futurum. Cui cæteroquin gratia nostra Cæsarea constat. Ratisbona 26. Septembris. 1641.

No. 14.

Copia litterarum Serenissimi Regis Daniæ Ad Sacram Cæsaream Maiestatem de 19. Novembris 1641.

EX

GERMANICO IN LATINUM FIDELIter translatarum.

SERENISSIME ac Potētissime Cęsar. Cæsareæ Vestræ Dilectioni ac Maiestati singularia nostræ amicitiæ officia, atque omne bonum, Consanguinee Charissime. Id quod Cæsarea Vestra Dilectio ac Maiestas ad Consiliarium suum imperialem Aulicum Hamburgi commorantem ratione præliminarium tractatus pacis perscripsit, eiusdem illic Nobis cōmunicationem Gluckstadium usque transmisit; Et licet nos quidem partes nostras in negotio isto apud unum alterumque tàm Gallicum quam Suecicum Legatos eo promovendo neutiquam desiderari patiamur, ut non obstantibus quibuscunque impedimentis, versantis præmanibus tàm Christiani operis initium Deo bene propitio ac iuvante capessatur, Salvi Conductus hinc indè extradantur, dies ad Congressum condicatur; Attamen præter

omnem Spem atque exspectationem edocemur, Legatum Gallicum à duobus suis postulatis, nempè quoad titulum Ducissæ Sabaudiæ Viduæ, tùm Regiam Hispanicam Plenipotentiam, neutiquam velle discedere. Quando verò duo ista capita tanti non sunt, ut rem uuiverso Christiano nomini tàm salutarem longiùs producere; adeoque irritam prorsus reddere debeant; præsertim quùm ex Cæsareæ Dilectionis & Majestatis Vestræ litteris singulare universalis Germanicæ pacis promovendæ, tùm dici quãtocyus conducendæ desiderium sat superque cognoverimus.

Nihilominus tamen propemodum coacti sumus dicto Legato d'Auaux expromittere ex parte Cæsareæ Vestræ Dilectionis ac Majestatis super hisce duobus desideratis punctis adhuc ipsi plenè satisfactum iri. Nos quidem ita censemus, omni fortèan hac in parte timendo præjudicio tempore extradendorum Saluorum Conductuum per solennem protestationem præcaveri, omniaquè sibi Salua reseruari posse: Interim tamen facere non possumus, quin Cæsaream Dilectionem ac Maiestatem Vestram, idque absquè omni prorsus arbitratu nostro, amicissimè requiramus, vti seipsã vincendo duobus istiusmodi postulatis non tàm vlla aliàs necessitate compulsa, quàm constanti provehendæ pacis studio inducta lubens volensque deferat, quo nos vicissim datâ expromissionis nostræ eàdem planè mente factæ fide merito exsolvamur, ac Salui Conductus pro Ducissa Sabaudiæ imprimis, petito modo exhibeantur & extradantur, adeòque universo Orbi & charæ posteritati manifesto ad oculum demonstretur, non obtentæ Vniversalis almæ atque aureæ pacis culpam neutiquam Cæsareæ Vestræ ac Dilectioni Maiestati adscribendã, immò potius quæsitis ab altera parte alijs ex alijs flexibus, scrupulosisque diverticulis atque effugiis imputandam. Cæterum quoad plenipotentiam Hispanicam confidimus sane etiamnum negotium hoc, contrà Cæsareæ Dilectionis ac Majestatis Vestræ declarationem de procuranda eiusdem ratificatione, in scripto factam, minimè longiùs iri ampliatum. Optamus utique ex animo, ut de præliminaribus hisce tandem conficiatur atque ipsum opus supremâ Divinitate propitiâ volente suscipiatur, adeoque nostra tàm fideliter impensa opera laboresvè nullatenus in cassum recidant. Quòd verò super hac nostra oblatione ex parte Gallicana cõsequetur, de eo Cæsaream Vestram Dilectionem ac Majestatem primo quoque tempore reddemus certiorẽ. Quam intereà Divinæ protectioni sedulò commendamus. Dabantur in castris Fuelsbüttelensibus die undevicesima Novembris anno 1641.

Cæsareæ Dilectionis ac Majestatis Vestræ

Fidelis Amicus

CHRISTIANUS.



Num. XV.

Copia Expromissionis Serenissimi Regis Daniæ, &c.



INGULARI favore & gratia nostra præmissis, Illustris. ac Generose, sincere nobis Dilecte: Relatum nobis ex quib9 causis arbitramini vobis non licere, quoad duo ista postulata in præliminaribus hactenus tot annos tractatis restantia. etiamnum in resolutione Cæsaris acquiescere. Spes fuit non parva cum ad manus nostras ea perveniret, nihil vos amplius desideraturos, Quia verò vestris Mandatis strictè inhæretis, & ad finem horum præliminarium non properatis, antequam Salvi Conductus cum titulo Tutricis & Regentis pro Serenissima Ducissa Sabaudiæ traditi fuerint, simulque adsit à Rege Hispaniarum plenipotentia & ratihabitio eorum quæ circa hæc Pacis Universalis præliminaria Hamburgi cum Legato Cæsareo concludentur.

Cum nos etiam ex literis Imperatoris intellexerimus, quam enixè ille cupiat remoto omni obstaculo in causa principali fieri initium, nosque ipsimet consideraverimus quam necessarium universæ Christianitati sit, hoc ut quo citius fiat, vobis expromittimus prædictos Cæsarem Regemque Hispaniæ his vestris desideratis quantivis etiam momenti, locum daturos, & amore aureæ pacis & dolore tot calamitatum, quibus Imperium Romanum, totaque Christianitas est implicata, requisitioni nostræ non defuturos. Contendimus itaque à vobis benevolè, velitis ultimam hisce præliminaribus addere manum, & hinc inde traditis Salvis Conductibus, qui sunt ad manus, sine ulteriori mora de certo die determinando cum Legato Cæsareo convenire. Nos vobis gratiam & benevolentiam iterum pollicemur. Dabantur in castris nostris Fulsbuttelliæ die 25. Novembris Anno 1641.

CHRISTIANUS.

Num. XVI.

Copia litterarum Cæſarearum ad Deputatos Coloniæ de 2. Decemb. Anni 1641.

Ex

GERMANICO IN LATINUM FIDE-liter translatarum.

FERDINANDUS III. &c.



LLUSTRIS & Magnifice, nec non honorabilis, docte, fideles dilecti. Ex veſtris ſeptimâ decimâ Novẽbris proximè præteriti datis litteris pariter ac inclusis Legati Veneti prototypis inter cætera percepimus, Salvum Conductum quintâ & vicesima Septembris nuperi pro Sabaudiæ Duciſſa tranſmiſſum eade cauſa non fuiſſe acceptatum, quod in iiſdem dicta Duciſſa Tutricis filii ſui Regentiſque titulo non fuerit appellata, adeoque eundem cum tituli iſtius expreſſione tranſcribi neceſſum eſſe; Tum etiam id, quod ſuper promovendis Salvis conductibus, qui ex parte Coronæ Hiſpaniæ tranſcribendi ſunt, ſubmiſsè cenſuiſtis ſuggerendum.

Ad ultimum igitur caput hoc, quod attinet, ſuper eo tàm ad Oratorem Noſtrum in Hiſpania Marchionem de Carretto, quàm ad Sereniſſimi Hiſpaniarum Regis Catholici, Conſobrini & Affinis noſtri Chariſſimi, Gubernatores Belgicarum Provinciarum jam tùm altera & viceſimâ die nuper elapſi Menſis Novembris perſcripſimus; prout etiam nunc per hunc curſorem Ordinarium iterato ſcribimus, certò Nobis promittentes à parte illâ nullam prorſus futuram moram aut difficultatem. Ad prætenſum verò Tutricis, Regentisque titulum, quod ſpectat, id genus poſtulati ita ſe habere comperimus, ut ad tractatus principales multo magis revocandum, quàm in hiſce præliminaribus diſceptandum videatur. Siquidem non modò Nos ſimile quicquam pro Principibus Cardinale & Thomâ à

Sabaudiâ fratribus (quod tamen à Coronâ Franciæ multò justius contendere poteramus) non postulavimus, neque Corona Suecica aut Franciæ pro ullâ interessatâ Viduâ vel Tutrice Germanicæ, Italicævè nationis tale quid requisivit. Postulatum igitur hoc aliter, quam novam ac supervacaneam tractatuum procrastinationem accipere atque interpretari non possumus. Id quod ita Legato Veneto Lutetiæ commoranti quamprimum significabitis, quod Nos responsi loco vobis benignè duximus rescribendum. De cætero gratia Nostra Cæsarea Vobis benignè constat. Viennæ 2. Decembris anno 1641.

Num. 17.

Copia litterarum Cæs: ad Luzzovium de 18. Decembris Anni 1641.

EX

GERMANICO IN LATINUM fideliter translatarum.

FERDINANDUS III. &c.



LITERAS Tuas Vigesimâ sextâ Novẽbris proximè elapsi datas rite accepimus, atque ex iis inter cætera intelleximus, quod Gallicus illic Hamburgi residens Legatus d'Auaux à Rege suo in mandatis habeat, non prius ad commutationem Salvorum Conductuum vel ullam Conventionem de loco ac tempore ad tractatus constituendo procedere, donec à Nobis Ducissæ Sabaudiæ Viduæ petitus Salvus Conductus cum titulo Tutricis & Regentis Statuum illius datus sit.

Qua super re te benignissimè celare nolumus, quod Salvo Conductui jam ante pro dicta Ducissa expedito etiamnum inhæreamus, quemadmodum etiam Nos jam semel atque iterum erga Nostros ad Gallicanos tractatus Deputatos Plenipotentiarios, prout ex appositis sub A. B. videre est, decleravimus. Id quod pro certiori directione tua, atque ut conve-

convenientibus locis per occasionem iudicare possis, tibi hisce sub gratia nostra Cæsarea (quâ tibi propensi manemus) benignè communicandum censuimus. Viennæ 18. Decembris 1643.

Num. 18.

Copia litterarum Serenissimi Regis Daniæ

Ad

Sacram Cæsaream Maiestatem de 24. Decembris, Anni 1641.

EX

GERMANICO IN LATINUM FIDEliter translatarum.



SERENISSIME Potentissime Cęsar, Singularia nostra & amicabilia obsequia atque omne bonum. Charissime Domine Cõsanguinee: Cæsareæ Vestræ Dilectioni & Maiestati prosequentes fidelem nostram operam, quam afflictæ Reipublicæ ac velut paci postliminio reducendæ hactenus graviter impendimus, amice duximus significandum, neque dubitamus, quin eiusdem adhuc Hamburgi commorans Consiliarius Imperialis aulicus pluribus eidem retulerit, quemadmodum supremâ divinitate benè juvante Legati, tàm Gallicani, quàm Suecici nominis, post crebras hinc indè habitas disceptationes in præliminaribus jam concluserint, exceptis paucis quibusdam, quæ adhuc desiderantur capitibus, quæ unà cum adiunctis resolutionibus in exemplis authenticis communicamus. Et cum Legatus Gallicus etiam nunc in eo persistat, ut Ducissæ Sabaudiæ detur Regentis ac Tutricis titulus, prout iam ante Vestræ Cæsareæ

Dilectio-

Dilectioni ac Maiestati indicavimus, quod erga eundem ultra quam conveniat, (quandoquidem factum tertii præstandum in Nos suscepimus) declaraverimus.

Idcirco Cæsaream Vestram Dilectionem & Maiestatem denuò amicè & obsequenter requirimus, ut amore boni publici iuxta priorem nostram petitionem hac super re sese benignè ac fauorabiliter declarare, & potiùs imminentem afflictæ ac præcipitanti Charissimæ patriæ Germaniæ extremam cladem & ruinam, quàm alia quasi privata quædam commoda considerare velit, neque adeò nos in factæ expromissionis nexu destituat, ne præsens quòq; apertura denuò in cassum recidat, atque evanescat. Intereà verò Cæsarea Vestra Dilectio & Maiestas omnia adversa præjudicia protestando poterit præcavere, nè fortè cuiquam hac in parte quippiam de jure suo detrahatur, vel ampliùs quàm fas est attribuatur.

Quid insuper in præliminaribus istis actum sit, ad Cæsaream Dilectionem & Maiestatem Vestram, eiusdem Plenipotentiario pluribus referendum relinquimus. Atquè Eidem ineuntem annum hunc felicissimum juxtà ac pacatissimum vouentes, Divinæ protectioni ac tutelæ ipsam sincerè commendamus. Datum in Castro nostro Glucksburg 24. Decemb. Anno 1641.

Christianus quartus DEI gratia Daniæ, Norvvegiæ, Vandalorum & Gothorum Rex, Dux Slesvviciæ, Holsatiæ, Stormariæ, & Dietmarsiæ, Comes Oldenburgi & Delmenhorsti, &c. Cæsareæ Vestræ Majestatis & Dilectionis Fidissimus amicus.

CHRISTIANUS, &c.

Num. XIX.

Copia Schedulæ Comitis d'Avaux

AD

Dominum Langermannum de 24. Decemb. Anno 1641.

REVERENDE DOMINE DECANE.



D promptiorem tractationis Vestræ exitum Dominationi Vestræ significandũ duxi, in eâ declaratione, quæ super pacis universalis præliminaribus hodie à me subscripta est, mihi non esse animum disputandi, vel denegandi titulum Cæsareum. Hisce Dominationem Vestram protectioni divinæ commendo. Dabantur Hamburgi, die 24. Decembris, Anno 1641.

Copia

Copia conventionis Hamburgensis

Num. 20.

Cæsareo-Gallicæ.

SACRÆ Cæsareæ Maiestatis & Imperii Aulico Consiliarius ad circulum inferioris Saxoniæ, & ad pacis præliminaria cum potestate deputatus Legatus, Conradus à Lutzovv, &c. Vniversis & singulis, quorum interest, constare volumus; Postquam multis retro annis agitari cœperunt rationes instituendæ de pace universali tractationis, atque aliæ ex aliis difficultates in præliminaribus emerserunt, tandem, Deo aspirante, & Serenissimi Regis Daniæ tanquam Mediatoris, interpositâ authoritate, factum esse, ut inter nos pro sua dicta Cæsarea Maiestate & Rege Hispaniarum ex una, & Illustrissimum & Excellentissimum Legatum Dominum Claudium de Mesmes, Comitem d' Avaux pro Rege Christianissimo ex altera parte, dicta præliminaria conclusa sint, sequentem in modum.

Loca universalis tractat[9] sint Monasterium & Osnabruga in Westphalia; Ex quorum utroque, statim post commutatos (ut infra dicetur) Salvos Conductus, educantur militaria partium

Num. 21.

Cæsareo-Succicæ,

SACRÆ Cæsareæ Maiestatis & Imperii Aulico Consiliarius ad circulum inferioris Saxoniæ, & & ad pacis præliminaria cum potestate Deputatus Legatus, Conradus à Luzzovv. &c. Vniversis & singulis, quorum interest, constare volumus; Postquam multis retro annis agitari cœperunt rationes instituendæ de pace universali tractationis, atque aliæ ex aliis difficultates in præliminaribus emerserunt, tandem, Deo aspirante, & Serenissimi Regis Daniæ tanquam Mediatoris, interposita authoritate, factum esse, ut inter nos simul ac Serenissimæ Reginæ Regnique Succiæ aulæ Cancellarium & Legatum, Illustrissimum & Excellentissimum Dominum Iohannem Adler Salvium dicta præliminaria conclusa sint, sequentem in modum.

Loca universalis Tractatus sint Osnabruga & Monasterium, in Westphalia; Ex quorum utroque statim post commutatos (ut infra dicetur) Salvos Conductus, educantur militaria

partium præſidia, & durantibus congreſſibus dictæ civitates ſacramento erga utramque partem ſolutæ ad neutralitatem obligentur.

Magiſtratui interim proprio cum milite & civibus ſua cuiusque Urbis Cuſtodia relinquatur. Ipſe viciſſim dato reverſali obſtringatur ad fidelitatem & ſecuritatem toti Conventui præſtandam, & tractantium res ac perſonas Comitatumque ſanctè habendum & cuſtodiendum; Et ſi quid ab eo, pro communi tractatus bono, requiſitum fuerit; præſtet ſe quidem obſequentem; neutrius tamen partis juſſa exequatur, niſi ab utroque Legatorum corpore collegiatim inſinuata.

Vterque congreſſus pro uno habeatur; atque ideo non ſolùm itinera inter Monaſterium & Oſnabrugam, omnibus, quorum intereſt, ultro citroque liberè ſecureque commeari poſſe, tuta ſunto: Sed & quicunque interiectus locus particulari tractantium Conventui, pro mutua communicatione commodus viſus fuerit, eâdem, qua dictæ Vrbes, ſecuritate fruatur.

taria partium præſidia & durantibus Congreſſibus, dictæ Civitates, Sacramento utriusque partis ſolutæ, ad neutralitatem obligentur.

Magiſtratui interim proprio cum milite & Civibus ſua cuiusque urbis cuſtodia relinquatur. Ipſe viciſſim, dato reverſali, obſtringatur ad fidelitatem ac ſecuritatem toti Conventui præſtandam, ac tractantium res ac perſonas comitatumque ſanctè habendum & cuſtodiendum; Et ſi quid ab eo, pro communi tractatus bono requiſitum fuerit; præſtet ſe quidem obſequentem; Neutrius tamen partis juſſa exequatur, niſi ab utroque Legatorum corpore collegiatim inſinuata.

Iura & Privilegia Civitatis Oſnabrugenſis interim Salva maneant, & templa, Scholæ, Curiæ, penes Senatum; Incognominem vero diœceſin neutra belligerantium pars plus juris factivè ſibi ſumat; quàm tempore huius Contractus habent.

Uterque congreſſus pro uno habeatur; atque ideo non ſolùm itinera inter utramq; urbem omnibus quorum intereſt vltrò citroque libere ſecureque commeari poſſe tuta ſunto: ſed & quicunque locus interiectus particulari tractantium conventui, pro mutua communicatione videbitur commodus; eadem, quâ dictæ urbes ſecuritate fruatur.

Libera quoque ſit in omnia dicta loca literarum, commeatus & rerum omnium, tanto Conventui neceſſariarum importatio, exportatioque nec ab ullâ parte, ullove modo aut prætextu, usquàm turbetur, ſed potius

Si verò, quod Deus avertat, tractatus universalis re infecta dissolvetur, recipiant Monasterium & Osnabruga statum & præsidia, quæ nunc habent, omni ex parte: at sanctè religiosèque servetur Neutralitas ad sex hebdomadas post abruptum tractatum.

Salvi Conductus ad Monasteriensem congressum infra enumerati, commutentur utrinque omnes intra menses duos à die huius conventionis: & ne diversis dissitisque procul locis facienda commutatio implicet negotium, ac novas adferat moras, fiat illa Hamburgi per Regios Daniæ Ministros.

Et quidem ex una parte tàm Imperator, quam Rex Hispaniæ, tradant sequentes Salvos Conductus, quisque suos.

1. Pro Plenipotentiariis Regis Christianissimi.

2. Pro Residente Suecico.

3. Pro Plenipotentiariis Serenissimæ Ducissæ Sabaudiæ.

4. Pro Plenipotentiariis Ordinum Generalium fœderati Belgii.

5. Pro Deputatis Electoris Trevirensis.

6. Pro Principe Carolo Ludovico Comite Palatino Rheni eiusque fratribus aut eorum Deputatis,

7. Pro Ducibus Brunsuicensibus & Luneburgensibus aut eorum Deputatis.

8. Pro Illustrissimæ Principis Ameliæ Elisabethæ Landgrauiæ Hassiæ Viduæ Deputatis.

9. Pro universis Imperij Ordinibus,

tius omni meliori modo promoveatur.

Si verò, quod Deus avertat, tractatus re infectâ dissolui contigerit, recipiant Osnabruga, Petersburgum & Monasterium statum & præsidia, quæ nunc habent omni ex parte, at sanctè religioseque servetur neutralitas ad sex hebdomadas post abruptos tractatus.

Salvi Conductus pro utroque congressu, commutentur utrinque omnes intra duos Menses à die huius conventionis. Et ne diversis dissitisque procul locis facienda commutatio implicet negotium morasque novas adferat, fiat illa Hamburgi per Regios Daniæ Ministros.

Et quidem ad congressum Osnabrugensem ex parte Augustissimi Imperatoris tradantur sequentes Salvi Conductus.

1. Pro Reginæ, Regnique Sueciæ Plenipotentiariis.

2. Pro Residente Gallico.

3. Pro Domo Palatina.

4. Pro Domo Brunsuicensi & Luneburgensi.

5. Pro Domo Hassiaca Cassellana.

6. Pro universis Imperii Statibus, Sueciæ fœderatis & adhærentibus in genere.

bus, Galliæ Fœderatis & adhærentibus in genere, aut eorum Deputatis.

Ex altera parte per Dictos Daniæ Ministros, dictoque loco & tempore tradantur ad eundem congressum Monasteriensem Christianissimi Regis Salui Conductus.

1. Pro Plenipotentariis Imperatoris.

2. Pro Plenipotentiarijs Regis Hispaniæ.

3. Pro utriusque fœderatis & adhærentibus in genere, aut eorum Deputatis.

4. Pro Deputatis Electoris Coloniensis.

5. Pro Deputatis Electoris Bavariæ.

Salui Conductus Cæsarei & Hispanici pro Plenipotentariis Ducissæ Sabaudiæ, sub ea forma concepti tradantur, quæ in Exemplari apud Serenissimum Daniæ Regem deposito, expressa est, addito tantum titulo Tutricis Filij sui Sabaudiæ Ducis, & eius Statuum Regentis.

Cæteri verò omnes & singuli tam ex parte Imperatoris & Hispaniæ, quā ex parte Galliæ sub ea formula, quæ novissime per Mediatorum Legatos communicata partibus & ab illis probata fuit.

Quo facilius à parte Hispaniæ Salvorum Conductuum commutatio procedat, valeant, qui antehac à vivente Serenissimo Cardinale Infante in forma supradicta expediti fuerunt, si à Rege Catholico confirmentur & ratihabeantur.

Singulis Saluis Conductibus dicta Tractatus Vniversalis loca diesque ex præscripto sequentis articuli inserantur,

Ex parte verò Serenissimæ Reginæ Sueciæ tradantur sequentes Salui Conductus.

1. Pro Imperatoris Plenipotentiarijs.

2. Pro Deputatis Electoris Moguntini.

3. Pro Electoris Brandeburgici Deputatis.

Supradicti Salvi Conductus omnes & singuli, tàm ex parte Romani Imperatoris, quàm Reginæ Sueciæ, sub ea formula, quæ novissimè per Mediatorum Legatos communicata partibus, & ab ijs probata fuit, concepti extradantur.

Singulis quoque Saluis Conductibus supradicta tractatus universalis loca respectivè inserantur. Et præsentis

tur, & præsētis Tractatus autographũ, datâ Singulis Legatis copiâ apud Sereniſſimũ Daniæ Regem deponatur.

Dies autem auſpicando utrique Congreſſui Monaſterienſi nimirum & Oſnabrugenſi dicta conſtitutaque eſto vigeſima quinta menſis Martij proximè venturi: Quod felix fauſtũque Orbi Chriſtiano det eſſe DEUS.

Præſens Tractatus cũ altero ſuper ijſdem pacis Vniverſalis Præliminaribus hodierna quoque die concluſo inter nos Conradum à Lutzov pro Sereniſſimo Imperatore ex una, & illuſtriſſimum Legatum Dominem Joannem Salvium pro Sereniſſima Regina Sueciæ ex altera parte, unus idẽque ſit Tractatus, nec niſi adimpletis utriusque conditionibus, alteruter pro impleto habeatur.

In quorum omnium fidem præſentes manibus noſtris ſignatas, ſigillis quoque mutuis firmavimus, earundem ratihabitionem à Principalibus utrinque noſtris factam, unà cum dictis Saluis Conductibus, ſtatuto tempore ac loco inſinuandam promittẽtes. Actum Hamburgi die $\frac{15}{25}$, Decembris Anno ſupra Milleſimum ſexcenteſimo quadrageſimo primo.

L.S.

Conradus à Lutzovv.

ſentis tractatus autographũ, data ſingulis Legatis copiâ authentica, apud Sereniſſimũ Daniæ Regẽ deponatur.

Dies autem auſpicando utrique Congreſſui Oſnabrugenſi & Monaſterienſi dicta, conſtitutaque eſto [illegible] menſis Martij proximè venturi, quod felix fauſtumque orbi Chriſtiano det eſſe Deus.

Præſens autem tractatus cum altero, ſuper ijsdem pacis Vniverſalis præliminaribus hodiernâ quoque die concluſo inter Nos Conradum à Lutzovv pro Imperatore Romano & Rege Hiſpaniarum ex una, & illuſtriſſimum Legatum Dominum Claudium de Meſmes Comitem d' Auaux pro Chriſtianiſſimo Rege ex altera parte, unus idemque ſit tractatus, nec niſi adimpletis utriuſque conditionibus alteruter pro impleto habeatur.

Quæcunque ſuprà de die locisque tractatuum dicta ſunt, ea à Principalibus utrinque noſtris peculiari Inſtrumento rata habebuntur, eaque ratihabitio unà cum enumeratis Salvis Conductibus præſtituto tempore ac loco reciprocè commutabitur.

In quorum omnium fidem, roburque præſentes, manibus noſtris ſignatas, ſigillis quoque mutuis firmavimus. Hamburgi die $\frac{15}{25}$ Decembris Anno 1641.

L.S.

Conradus à Lutzovv.

Copia



Num. XXII.

Copia Conventionis Suecico-Cæsareæ.



SERENISSIMÆ Reginę, Regnique Sueciæ ad pacis negotium cum potestate Legatus, Johan Adler Salvius, &c. Vniversis & singulis, quorum interest, constare volumus; Postquam multis retrò annis agitari cœperunt rationes instituendæ de pace universali tractationis atque aliæ ex aliis difficultates in præliminaribus emerserunt, tandem DEO adspirante, & Serenissimi Regis Danię, tanquam Mediatoris, interpositâ authoritate factum esse, ut inter Nos & Consiliarium ac Legatum Cæsareum Illustrissimum & Excellentissimum Dominum Conradum à Lutzow, dicta præliminaria conclusa sint modo sequenti.

Loca universalis tractatus sint Osnabruga & Monasterium in Westphalia; Ex quorum utroque statim post commutatos (ut infra dicetur) Salvos Conductus, educantur militaria partium præsidia, & durantibus congressibus dictæ Civitates, Sacramento utriusque partis solutæ ad neutralitatem obligentur.

Magistratui interim, proprio cum milite & civibus, sua cuiusque Vrbis custodia relinquatur. Ipse vicissim dato reversali, obstringatur ad fidelitatem ac securitatem toti conventui præstandam & tractantium res ac personas comitatumque sanctè habendum & custodiendum, Et si quid ab eo, pro communi tractatus bono requisitum fuerit, præstet se quidem obsequentem, neutrius tamen partis iussa exequatur, nisi ab utroque Legatorum corpore collegiatim insinuata.

Jura, & privilegia Civitatis Osnabrugensis interim Salva maneant, & templa, Scholæ, Curiæ, penes Senatum. In cognominem verò diœcesim neutra belligerantium pars plus Iuris factive sibi sumat, quam tempore huius contractus habeat.

Vterque Congressus pro uno habeatur, atque ideo non solum itinera inter utramque Vrbem omnibus, quorum interest, ultrò citroque liberè securèque commeari posse, tuta

sunto:

ſunto: Sed & quicunque locus interjectus particulari tractantium Conventui, pro mutua communicatione, videbitur commodus, eâdem qua dictæ Vrbis ſecuritate fruatur.

Libera quoque ſit in omnia dicta loca litterarum, commeatus & rerum omnium, tanto Conventui neceſſariarum importatio, exportatioque, nec ab ulla parte ullovè modo aut prætextu, uſquam turbetur, ſed potiùs omni meliori modo promoveatur. Si verò quod DEVS avertat, tractatus re infectâ diſſolvi contigerit, recipiant Oſnabruga, Petersburgum & Monaſterium, Statum & præſidia, quæ nunc habent, omni ex parte, At ſanctè religioſéque ſervetur neutralitas ad ſex hebdomades poſt abruptos tractatus.

SalviConductus pro utroque congreſſu, commutentur utrinq; omnes intra duos Menſes à die huius Conventionis. Et ne diverſis diſſitisque procul locis facienda commutatio implicet negotium morasque novas adferat, fiat illa Hamburgi, per Regios Daniæ Miniſtros.

Et quidem ad Congreſſum Oſnabrugenſem ex parte Sereniſſimæ Reginæ Sueciæ tradantur ſequentes Salvi Conductus.

1. Pro Plenipotentariis Imperatoris.

2. Pro Deputatis Electoris Moguntini.

3. Pro Electoris Brandenburgici Deputatis.

Ex parte verò Sereniſſimi Imperatoris Romani tradantur ad dictum congreſſum Oſnabrugenſem Salvi Conductus ſequentes.

1. Pro Reginæ Regnique Sueciæ Plenipotentariis.

2. Pro Reſidente Gallico.

3. Pro Domo Palatina.

4. Pro Domo Brunſuicenſi & Luneburgenſi.

5. Pro Domo Haſſiaca Caſſellana.

6. Pro univerſis Imperij Statibus, Sueciæ fœderatis & adhærentibus in genere.

Supradicti Salvi Conductus omnes & ſingulii, tàm ex parte Reginæ Sueciæ, quàm Imperatoris Romani, ſub ea formula, quæ noviſſimè per Mediatorum Legatos communicata partibus, & ab iis probata fuit, concepti extradantur.

Singulis quoque Salvis Conductibus, ſupradicta tractatus univerſalis loca reſpectivè inſerantur, & præſentis tractatus autographum, datâ ſingulis Legatis copiâ authenticâ, apud Sereniſſimum Daniæ Regem deponatur.

Dies autem auſpicando utrique Congreſſui, Oſnabrugenſi & Monaſterienſi dicta, conſtitutaque eſto (15)(25 Menſis Martii proximè venturi, quod felix fauſtumque orbi Chriſtiano det eſſe DEUS!

Præſens autem tractatus cum altero ſuper iisdem pacis univerſalis præliminaribus hodiernâ quoque die concluſo inter Illuſtriſſimos Legatos, Dominum Conradum à Lutzovv, pro Imperatore & Rege Hiſpaniarum ex una, & Dominum Claudium de Meſmes Comitem d'Auaux pro Chriſtianiſſimo Rege, ex altera parte, unus

 idemque

idemque sit tractatus, nec nisi adimpletis utriusque conditionibus, alteruter pro impleto habeatur.

Quæcunque supra de die, locisque tractatuum dicta sunt, ea à Principalibus utrinque nostris peculiari instrumento rata habebuntur, eaque ratihabitio unà cũ enumeratis Salvis Conductibus præstituto tempore ac loco reciprocè commutabitur.

In quorum omnium fidem, roburque, præsentes, manibus nostris signatas, Sigillis quoque mutuis firmavimus. Hamburgi. die (15) (25) Decembris. Anno M. DC.XLI.

Num. XXIII.


Copia Declarationis Oratoris Gallici super conventione in præliminaribus.



HRISTIANISSIMI Regis per Germaniam extraordinari⁹ Legatus Claudius de Mesmes Comes, d'Avaux Universis quorum interest notum testatumque volumus, nos de Tractatu super Pacis universalis præliminaribus, qui inter Nos & Illustrissimos Legatos Dominum Conradum à Lutzavv, & Dominum Joannem Salvium hodiernâ die respectivè conclusus, & ab illis subscriptus, atque in manus Serenissimi Daniæ Regis uti Mediatoris dati nobis authenticâ copiâ, depositus est, convenisse in omnibus & singulis ad rei substantiam pertinentibus, videlicet; loca & diem congressuum, mutuamque Salvorum Conductuum, qui in illo recensentur, & sub formulis, quæ ibidem declarantur traditionem, prout per præsentes convenimus parem vim habituras, ac si dicto Tractatui nos quoque subscripsissemus, eiusque conditiones omnes hic insertæ & repetitæ fuissent. In quorum fidem hasce manu & Sigillo nostro munitas apud præmemoratum Daniæ Serenissimum Regem vicissim deposuimus, earundem Ratihabitionem à sua Christianissima Maiestate, unà cum dictis Salvis Conductibus statuto tempore ac loco promittentes. Actum Hamburgi die 15/25 Decembris, Anno supra Millesimũ sexcentesimo quadragesimo primo.

L. S. *Claudius de Mesmes.*


Num XXIV.



Num. XXIV.

Copia Responsi Comitis d'Avaux ad Serenissimum Regem Daniæ de prima Ianuarij, Anno 1642.

Vel prout Cæsari à Serenissimo Regē Daniæ transmissum est, de (30) Decembris, Anno 1641.



N verbo vestro laxavi rete. Quamvis nec literæ Salvorum Conductuum nec alia adessent, quemadmodum oportuit, antequam Conventui de Pace universali dies præfiniretur; tamen in Tractatum non invitus consensi; quem nunc ad Maiestatem Vestram belligerantium Principum Legati mittimus. Valuit apud me securitas Regiæ Expromissionis, ut præter ordinem usumque rerum gerendarum & præter ipsa mandata eousque progredi auderem, arbitratus contra Iurisperitorum regulas hac vice inesse cautionis tantum in persona quantum in re, quòd is fidem interposuerit suam qui & Rex est, & arbiter publicæ concordiæ, & armatus. Spero equidem fore ut tantam authoritatem secutis nemo nobis impunè & afflicti Orbis expectationi illuserit: Nec dubito quin Reges ac Principes Christiani consideratè religiosèque habituri sint judicium eius, qui inter ipsos & ætate est primus & longo regnandi usu coalitam prudentiam vel his maximè difficillimis temporibus exerit. Saltem id certò spondere possum Maiestati Vestræ, Christianissimum Regem unà cum belli Sociis ac fœderatis impleturum abundè quicquid suarum esse partium ex præsenti Tractatu intelliget. & gratissimo quoque animo (non segnius ac cæteri omnes qui commu-

nibus miseriis finem impositum verè cupiunt) æstimaturum labores, officia, studiumque incomparabile, quo Maiestas Vestra promovere negotium Pacis & Reipublicæ Christianæ pristinam conficere tranquillitatem, consilio præclaro illustrique conatu tot iam annos perseverat. In re tam ardua si nec opera mea inutilis fuit, eamque Regiæ Maiestati Vestræ probare potui, equidem me summam habere votorum meorum libens profitebor qui sum jampridem.

Serenissimæ Maiestatis Vestræ

Humillimus & observantissimus Servitor

Claudius de Mesmes

Hamburgi 1. Ian. 1642.

Num. XXV.

Copia Declarationis Cæsareæ ad Serenissimum Regem Daniæ super Tractatu Hamburgensi.

Epistola Cæsarea Declaratoria.

MINISTRI *Regis Hungariæ istarum litterarum autores, male consuluerunt ipsius existimationi, dum suaserunt ut autoritatē Tractatus a legato suo, sicuti iussus fuerat conclusi, publicè desugeret, Idque in negocio pacis, cuius mirificum desiderium magno strepitu antea ostentaverant. Nunc illis totum hoc artificium perrit, & sese ipsimet prodiderunt.*

Notæ Marginales Comitis d'Avaux ad Epistolam Cæsaream.

FERDINANDUS III. Serenissimo Daniæ Regi, &c.

A *Multis iam annis Imperiales & Hispani id operam dederunt, ut viderentur quietem orbi Christiano procurare. Quod ut persuaderetur, quæsitissimis coloribus*

bus opus fuit, quorum inveniendorum singulares artifices perhibentur. Eos obiecerunt oculis praecipuè Germanorum. Danorum, Italorum, Anglorumque, fiductis etiam nonnullis, qui rem non noverant, aut in huiusmodi negotiis parum fuerant versati.

PRaeter caetera quibus Austriaci imaginarium hoc pacificandi propositum celebrius reddi & simulationi suae fidem conciliari posse crediderunt, ad id potissimum nuperis Comitiis Ratisbonensibus abusi sunt. Ibi Rege Hungariae qui coram aderat impulsore, nihil omiserunt eorum quibus tota belli invidia in socios Reges derivari posset. Effecerunt ut publico Concilii nomine ad Regem Christianissimum, & Serenissimam Sueciae Reginam scriberetur, omnia ad pacem esse expedita dummodo placeret ea de re Legatos suos Hamburgi commorantes idoneis mandatis instruere, quasi nihil amplius tantum negotium moraretur. Etiam secundas postea literas in Sueciam miserunt dum publicus Ordinum Regni Conventus agebatur, in celebriori luce suum scilicet pacis studium honestissimamque voluntatem expostituri. Impetrarunt eodem tempore a Serenissimo Rege Daniae, ut eâdem de causâ Legatum Extraordinarium ad Comitia mitteret; Et ab Electore Brandeburgico, suis ut officiis Legationem prosequeretur. Sperabant persuaderi hoc pacto toti Germaniae posse, non sine ardua molitione summoque labore ad tractationem de pace Suecos pertrahi. Hunc animum, hoc pro pace consilium, quod venditabant, impensius probaturi, inseri, curarunt posterioribus illis literis, Legatum LutZovium sufficientissimè iam esse instructum mandatis ac potestate de praeliminaribus pacis generalis cum Legatis Gallico-Suecicoque qui Hamburgi essent transigendi.

EXinde Daniae Rex ad Legatum Galliae scribit eumque ad inchoandam tractationem invitat, internuncio Consiliario suo Domino Langermanno, quem literis, ut vocant; Credentiae, quae mandatis fidem arrogent, instruit.

PErgit ulterius Rex Daniae, innixusque frequentibus literis totiesque asseveranti Regi Hungariae confisus, per epistolam Legato Gallico promittit Imperatorem Regemque Hispaniae rata habituros omnia, de quibus cum Legato LutZovio circa praeparatoria pacis convenisset.

HIs insistentes fundamentis Gallicus Suecicusque Legati; interveniente Langermanno, qui plus quam trium mensium operam huic rei impendit, Tractatum illum, de quo nunc agitur, perfecerunt signaruntque, atque una cum ipsis LutZovius plenipotentiâ Regis Hungariae munitus, autoritate Imperialis Consilii approbatus, Regisque Mediatoris expromissione sublevatus. Et tamen ecce acta gestaque eius repudiantur & reiiciuntur.

SI adversarii tam parum integrè versantur in re non adeo magni momenti qualia sunt praeparatoria tractationis de pace, quid tandem de religione fideque eorum sperari potest ubi pax ipsa, resque totius Christiani Orbis maxima agentur?

M 3 PEri-

PEriculosum foret & indignum, in ipso limine tractationis huius, permittere Austriacis eam autoritatem, quâ quæcunque lubet aut approbant aut inficiantur.

DEnique illi publicæ tranquillitatis tam cupidi, qui nos toties cessationis insimulaverant, ubi nos conferre gradum vident, quantum possunt resistunt, ut tam obscurum amplius esse nequeat inopinatò illis hanc nostram liberalitatem accidisse, non enim speraverant futurum ut acciperemus quæ offerebantur.

SEd necesse est ipsas expendere literas quæ ita habent.

UTrasque Dilectionis Vestræ 19. Novembris & 24. Decembris anni proxime elapsi datas literas recte accepimus, atque ex iisdem pariter atque ex appositis scripturis liquidius intelleximus, quantum ac quousque in compositione Præliminarium ad instantem Congressum universalem adhibita apud Gallicos simul ac Suecicos Hamburgi commorantes Ministros Dilectionis Vestræ operatio profecerit; inprimis verò, quemadmodum apud Nos Titulum (1) Tutricis ac Regentis pro Ducissa Sabaudiæ se obtenturam, Legato Gallico quasi in antecessum expromittere sit coacta; Nos proindè amanter atque enixe requirendo, (2) ne datam in hac expromissione fidem suam destitui simulque præsentis aperturæ occasionem denuò elabi negotiumque hoc incassum ac nihilum recidere patiamur.

1.

MInistri Regis Hungariæ suppresserunt hic aliud postulatum, quod literis Regis Daniæ continetur, de Plenipotentia nempè Hispaniæ Regis, deque ratificatione Tractatus *Hamburgensis.*

2.

REx Daniæ non minus Ratificationem, Tractatus quam Salvum Conductum pro Sabaudia postulavit. Vtrumque enim in se receperat, & pro utroque expromiserat literis ad Legatum Gallicum scriptis quarum exemplum ab ipso Viennam missum est. Sed Imperiales omittunt illam partem de Ratificatione, quandoquidem eam præstare nolunt. Primo itaque intuitu largiri aliquid Regi videntur, sed reipsa interpositionem eius fidemque ab ipso datam frustrantur.

TAmetsi igitur neutiquam dubitemus quin noster tum Hamburgi commorans Consiliarius Imperialis Aulicus Conradus à Lutzaw, juxta præscriptum ac tenorem Cæsarei nostri ad ipsum XIX. Decembris expediti mandati ad Dilectionem Vestram pluribus retulerit, quibus & quam gravibus ducti (3) rationibus petitum Titulum Ducissæ Sabaudiæ hactenus censuerimus denegandum & Dilectio

3.

OTiosè hæc repetuntur, postquam de ea controversia iam transactum est. Quod

Quod si quis iura Serenissimæ Ducissæ Sabaudiæ (cum & possessione sua se tueri possit) fusius a nobis explicari velit, rem actam ut agamus postulat, totumque negotium à primordiis repetere iubet. Huc videlicet tendunt Imperiales sicut ex sequentibus apparebit.

4.

ITa est, multa tandem concessit Rex Hungariæ, quia primum omnia negaverat, etiam iustissima, & sine quibus confieri huiusmodi tractationes nequeunt. Adeo quidem ut ab initio nullos Salvos Conductus Germaniæ Principibus quibuscum Gallia Sueciaque *fœdus est impertiri voluerit. Verum si adversæ parti Rex Hungariæ decessit de tam multis qui fit ut nihil nunc tribuat autoritati Mediatoris, fideique pactionis solennis & consummatæ.*

ctio Vestra quoque intellexerit, hocce ad Tractatus principales non vero ad Præliminaria spectans negotium non esse idoneam neque sufficientem causam cur Franciæ Rex à Congressu illo sese potuerit aut debuerit abstinere: tum Dilectioni Vestræ satis notum est, quot & quam diversis adversæ partis Petitionibus iam ante (4) detulerimus, neque tamen ille ab omnibus desideratus Congressus post tot tantasque à summæ authoritatis Interpositoribus factas sincerationes, à parte adversa ad optatum fuerit promotus effectum: Vt ut autem sit, amicam atque enixam Dilectionis Vestræ requisitionem benevolè accipimus, inprimis vero in facta expromissione, vel hoc consideramus, quod Dilectio Vestra petitum Salvum Conductum eum in modum desideret uti ambobus Sabaudiæ Principibus ratione Tutelæ à Nobis ipsis commissæ neutiquam fraudi, præiudiciove sit.

AC proinde Nos erga Dilectionem Vestram ita declaramus, quod dictum Salvum Conductum pro Ducissa Sabaudiæ eo plane modo, quo Dilectio Vestra à Nobis postulavit, sub die hodierna (Tit.) Comiti ab Auersberg transmittimus, illique simul clementer præcipimus, ut eundem penes se (5) retineat, neque ante extradat, donec (6) omnia in præliminaribus sint transacta & composita, & universum negotium à sola extraditione huius Salvi Conductus pendeat; verumtamen excipimus & reservamus nobis hic expresse quod quando tandem ad realem extraditionem fuerit perventum, quo huius Tituli in his duntaxat Salvis Conductibus facta concessio prædictis Sabaudiæ Principibus in iuribus

5.

QVod Rex Hungariæ Daniæ Regi altera manu largitur, id retractat altera. Concedimus inquit Salvum Conductum, sed ne à nostro Legato tradatur, id vero cavemus.

6.

TEmpus quo tradi hunc Salvum Conductum Rex Hungariæ iubet indefi-

indefinitum est, neque definietur, nisi quando id ipsi visum fuerit. Quoniam enim post solennem Tractatum Praeliminaria nondum determinata esse censet, nunquam profecto de negotio transactum videbitur nisi cum ex usu ipsius erit.

bus ipsorum realique possessione cōcreditæ, per nos, ipsis & de (7) iure commissæ Tutelæ ne vel minimum quidem præiudicium creari, sed ad almam saltem Pacem provehendam, liberandamque (8) Dilectionis Vestræ hac in parte datam Regiam fidem, hac tantum vice concessum intelligi velimus.

7.

QVam hac Tutela de iure commissa sit, ipse Rex Hungariæ ostendit in simili causa, ubi tamen contrariam in partem sententiam dixit. Ante paucos enim annos Ducissæ Megapolitanæ Viduæ tutelam filii sui, & ditionum eius administrationem adiudicavit, neglectis omnibus iis, quibus pupilli patruus causam suam videbatur tueri. Nunc vero quoniam in causa Sabaudica agitur commodum Regis Hispaniæ, Iurisprudentia Viennensis longe alia est, qualis esse eorum solet, qui nigra in candida vertunt.

8.

NVllo modo fidem Regis Daniæ liberat, neque enim aut suam aut Hispaniæ ratificationem mittit, quas expromissio Regia complectitur. Et Salvo Conductui pro Sabaudia talis est annexa conditio, quæ existere, nisi quando ipse volet, non potest.

AD reliqua omnia quæ à Consiliario nostro Imperiali Aulico mediante Dilectionis Vestræ Consiliario Domino Langermanno cum Gallicis Suecicisque Ministris acta sunt, & partim ex nostra, partim etiam aliorum Intercessorum ratificatione atque ulteriori resolutione (9) pendent, exinde singulari cum grati animi affectu agnoscimus indefessum & constans Dilectionis Vestræ studium quod hactenus promovendo Congressui illi sedulo atque indesinenter impendit. Id Dilectioni Vestræ merito sempiternam nominis sui gloriam conciliabit.

ET licet neque cum (quod Nobis quidem liquet) ulla istiusmodi (10) legitimatio ad tractandum cum Cæsareis nostris Ministris à Gallico Legato

9.

VIdentur Viennenses satis negligenter legisse pactionis Hamburgensis articulos, vel parum sincere recitare. Neque enim illa pendet ex Ratihabitione Regis Hungariæ aut cuiuspiam, sed eum ad ratihabendum obligat. Hæc enim vis est atque efficacia illius plenipotentiæ quam Legato suo attribuit.

10.

PLusquam triennium est quod Legatus Gallicus Procancellario Curtio idem

idem de pace negotium Hamburgi *tractanti (cum id exposceret) Ministrique Regis Daniæ mandatum quod habebat procuratorium edidit, quo ipsi facta est potestas transigendi & de pacis præparatoriis & de pace ipsa. Exhibuit insuper* Salvos *Conductus quos Rex Christianissimus Plenipotentiarius Regis Hungariæ largiebatur ea forma quam ipse definiverat.*

Legato fuerit exhibita atque ipsemet fassus sit, id quod hac vice hac in re actum est, absque (11) mandato actum esse, nihilominus tam pro nostra quam Serenissimi Hispaniarũ Regis parte, inprimis in duarum ad dictos Tractatus Urbium Monasterii nimirum & Osnabrugæ (12) electione conquiescimus.

11.

Gallicus Legatus Tractatum de præliminaribus pacis conclusit pure ac simpliciter Regisque sui ratificationem promisit, eamque accepit, & in promptu habet. Cum iam signasset Tractatum, scripsit forte Regi Daniæ se respectu ipsius fiduciaque Regiæ *expromissionis in aliquid consensisse etiam præter mandata: nempe quod de die convenisset inchoandi Conventus antequam* Salvi *Conductus omnes, quemadmodum mos & ius iubebant, essent traditi. Quin eâdem omnino Epistola continetur expresse Regem* Christianissimum *quæ suarũ partium in* Tractatu *isto futura essent, impleturum.*

Duæ *illæ obiectiones adeò frivolæ abunde demonstrant Ministros Regis* Hungariæ *viam quâ elabantur circumspicere, curâ autem procurandæ pacis omnino non tangi.*

12.

Hic consensus de loco, Civitatibus nempe Monasterio & Osnabruga, ambitiosus est, Cuiusmodi sunt omnia pleraque quæ sequuntur quæsitis studio verbis & affectatâ prolixitate plena. Scilicet hoc artificio aures atque animos populi detinendos crediderunt, ut cum tantum apparatum vident, credant res maximas concedi. Sed si paululum excutias, solidi nihil inest. Quantum enim ad urbes nominatas attinet, de iis iam tempore Comitiorum Ratisbonensium Rex Hungariæ *consenserat. Uti ex recessu Imperii, quem vocant, publice edito apparet. Sed ea res opportuna visa est quæ hic rursus locum inveniret.*

13.

Consensus iste, mera ludificatio est. Sueci enim Osnabrugæ militare præsidiũ habent: Monasterium vero se præsidio oppidanorum tuetur, nullus ibi Regis Hungariæ miles est. Cum itaque Pacis *studio id ultro largiti sunt Sueci, ut milites sui*

Nec secius acceptamus & consentimus, (13) ut statim post traditos hinc inde Salvos Conductus præsidia moderna, quæ Civitatis disciplinæ non sunt obnoxia, educantur, & quam diu Tractatus in una alteraque Urbe duraverint, tamdiu earundem custodia ac defensio ipsismet civibus atque incolis concredatur.

sui præsidiarii tam ex Vrbe Osnabruga quam ex arce deducantur, inque eo negotio solum Suecorum consensus vertatur, bellè profectò & festivè Imperiales aiunt se quoque consentire. Quid est fumum vendere si hoc non est?

14.

Q*Vidni velit quando nolle non potest? Neque enim Osnabruga in ipsius est potestate.*

15.

M*Emorabile sanè & inauditum beneficium est, mandare Archiduci & Piccolominio ne vi armata Osnabrugam accedant, & obtorto collo ad carcerem rapiant qui de pace tractaturi eò convenerint. Sed cur eandem securitatem Monasteriensi Conventui non spondent? Hæc diversitas aliquid monstri alit, quemadmodum & conditio sub qua illam securitatem largiuntur. Nam si illa obtineri nequit nisi tum demum, cùm omnes legati Regum Principumque quorum de negotio agetur, atque adeo ipsorum Mediatorum congregati fuerint: (ita enim verba sonant) periculosa omnino foret festinatio & acerbum fortassis diligentiæ præmium. Præterea Sueci hostium suorum dubiæ fidei exponerentur, qui innixi ambiguitate huius articuli, facile inde prætextum invadendi loci illius occupandique arriperent. Dicat fortasse aliquis Monasterium esse ditionis Electoris Coloniensis, itaque ab armis Regis Hungariæ & sociorum satis tutum esse: Quod si ita est, cur igitur postulant a fœderatis Regibus ut reciproce sese obligent tutam per ipsos fore Osnabrugam? Cum enim illa sit:*

VOlumus (14) etiam ut Civitas Osnabrugensis durantibus hisce Tractatibus privilegiis suis gaudeat, in eorumque fruitione manuteneatur ac conservetur, nec Magistratus in præsenti tàm Ecclesiarum quā Scholarum dictæ Civitatis constitutione ulla ratione perturbetur.

DEmum etiam licet Salvi Conductus nostri Cæsarei tam loco ad Tractatus assignato, quam etiam personis quibus ij sunt concessi omnem sufficientem præstent securitatem, ex superabundanti (15) tamen Charissimi fratris nostri Dilectioni & omnibus sub ipsius ductu militantibus gratiose ordinatum volumus, quemadmodum, sub dato hodierno ordinamus atque inhibemus ne durantibus hisce Tractatibus adversus civitates Osnabrugensem & Petersburgensem ab eo quo nostri, tum Interpositorum, & aliorum Regum ac Principum Legati, Osnabrugam intraverint, quicquam infestum aut hostile consilio aut facto (quocunque tandem nomine id vocari possit) suscipere aut attentare ausint. Idem Dilectioni Vestræ tam de Serenissimi Hispaniæ Regis Catholici armis (quoad hostes quoque ipsius id veniant quæsitum) quam duorum Bavariæ & Saxoniæ Electorum concreditis Imperialibus copiis promittimus & asseveramus, certo confisi partem quoque adversam vicissim similiter stipulaturam, neque Dilectionem Vestram hoc nomine idoneam (16) ab ipsis fidem & sufficientem securitatē accipere recusaturam, sibique necessaria ad hoc mandata militaria ad manus suas tradenda curaturam, quemadmo-

Hastiniris Suecici, pari omnino ratione vel ab ipsis vel ab ipsorum fœderatis expectare periculum non debet.

admodum nos, talem in eventum Dilectioni Vestræ transmittenda tradendaque curare non detrectamus.

16.

SAtis hinc apparet quemadmodum & ex universo Epistola contextu nihil quærere Imperiales quam ut totum negotium variis remoris ac difficultatibus implicent perplexumque reddant. Idcirco proponunt Regi Daniæ novis securitatibus novis utrinque Declarationibus opus esse, idque & ad Regem Hispaniæ & ad eius hostes extendunt, neque tamen quos intelligi hostes velint, diserte explicant. Atque hæc omnia ut novæ tractationis materiam subministrent, sed illius longè difficilioris magisque inextricabilis quam nuper a fuit, cui tamen totum quinquennium impensum est.

ET cum de omnibus quoad promovendam necessariam hinc inde correspondentiam, reciprocam litterarum transmissionem, cursorum & nuntiorum expeditionem, & cætera hisce annexa pertinent, iam in accordatis ex utraque parte Salvis Conductibus optimè provisum sit, in eo lubentes penitus conquiescimus, certa freti spe, ut quemadmodum ex hac parte fiet, ita etiam ex altera quicquid ita factum conventumque est ritè adimpleatur.

17.

HOc iam Hamburgensi Tractatu cautum, præterea ex ipsa æquitate naturali communique iure ac consuetudine petitum est, adeo ut hic consensui Regis Hungariæ pro luculento aliquo indicio animi ad pacem propensi accipi nequeat.

QVod si (17) verò præter omnem spem atq; expectationem Congressus & Tractatus isti absque conclusa desideratissima Pace dissolvantur, Volumus nihilominus ut intra sex proximas hebdomadas contra Osnabrugam & Petersburgum nihil hostile attentetur, vel Suecica Corona impediatur quominus præsidium suum denuo illuc introducat, (18) dummodo idem respectu civitatis Monasteriensis observetur.

18.

HÆc quoque conditio captiosa est, Monasterij nullum habet militare præsidium Rex Hungariæ, quod ibi est, Magistratui urbis sacramentum dixit, neque inde deducetur. Itaque hic omnia

idemque sit tractatus, nec nisi adimpletis utriusque conditionibus, alteruter pro impleto habeatur.

Quæcunque supra de die, locisq; tractatuum dicta sunt, ea à Principalibus utrinque nostris peculiari instrumento rata habebuntur, eaque ratihabitio unà cũ enumeratis Salvis Conductibus præstituto tempore ac loco reciprocè commutabitur.

In quorum omnium fidem, roburque, præsentes, manibus nostris signatas, Sigillis quoque mutuis firmavimus. Hamburgi. die (15) (25) Decembris. Anno M. DC.XLI.


Num. XXIII.

Copia Declarationis Oratoris Gallici super conventione in præliminaribus.

CHRISTIANISSimi Regis per Germaniam extraordinari⁹ Legatus Claudius de Mesmes Comes, d' Avaux Universis quorum interest notum testatumque volumus, nos de Tractatu super Pacis universalis præliminaribus, qui inter Nos & Illustrissimos Legatos Dominum Conradum à Lutzavv, & Dominum Joannem Salvium hodiernâ die respectivè conclusus, & ab illis subscriptus, atque in manus Serenissimi Daniæ Regis uti Mediatoris datā nobis authenticâ copiâ, depositus est, convenisse in omnibus & singulis ad rei substantiam pertinentibus, videlicet; loca & diem congressuum, mutuamque Salvorum Conductuum, qui in illo recensentur, & sub formulis, quæ ibidem declarantur traditionem, prout per præsentes convenimus parem vim habituras, ac si dicto Tractatui nos quoque subscripsissemus, eiusque conditiones omnes hic insertæ & repetitæ fuissent. In quorum fidem hasce manu & Sigillo nostro munitas apud præmemoratum Daniæ Serenissimum Regem vicissim deposuimus, earundem Ratihabitionem à sua Christianissima Maiestate, unà cum dictis Salvis Conductibus statuto tempore ac loco promittentes. Actum Hamburgi die 15 Decembris, Anno supra Millesimũ 25. sexcentesimo quadragesimo primo.

L. S. *Claudius de Mesmes.*


Num XXIV.



Num. XXIV.

Copia Responsi Comitis d'Avaux ad Serenissimum Regem Daniæ de prima Ianuarij, Anno 1642.

Vel prout Cæsari à Serenissimo Rege Daniæ transmissum est, de (30) Decembris, Anno 1641.



IN verbo vestro laxavi rete. Quamvis nec literæ Salvorum Conductuum nec alia adessent, quemadmodum oportuit, antequam Conventui de Pace universali dies præfiniretur; tamen in Tractatum non invitus consensi; quem nunc ad Maiestatem Vestram belligerantium Principum Legati mittimus. Valuit apud me securitas Regiæ Expromissionis, ut præter ordinem usumque rerum gerendarum & præter ipsa mandata eousque progredi auderem, arbitratus contra Iurisperitorum regulas hac vice inesse cautionis tantum in persona quantum in re, quod is fidem interposuerit suam qui & Rex est, & arbiter publicæ concordiæ, & armatus. Spero equidem fore ut tantam authoritatem secutis nemo nobis impunè & afflicti Orbis expectationi illuserit: Nec dubito quin Reges ac Principes Christiani consideratè religioséque habituri sint judicium eius, qui inter ipsos & ætate est primus & longo regnandi usu coalitam prudentiam vel his maximè difficillimis temporibus exerit. Saltem id certò spondere possum Maiestati Vestræ, Christianissimum Regem unà cum belli Sociis ac fœderatis impleturum abundè quicquid suarum esse partium ex præsenti Tractatu intelliget & gratissimo quoque animo (non segnius ac cæteri omnes qui commu-

nibus miseriis finem impositum verè cupiunt) æstimaturum labores, officia, studiumque incomparabile, quo Maiestas Vestra promovere negotium Pacis & Reipublicæ Christianæ pristinam conficere tranquillitatem; consilio præclaro illustrique conatu tot iam annos perseverat. In re tam ardua si nec opera mea inutilis fuit, eamque Regiæ Maiestati Vestræ probare potui, equidem me summam habere votorum meorum libens profitebor qui sum jampridem.

Serenissimæ Maiestatis Vestræ

Humillimus & observantissimus Servitor

Claudius de Mesmes

Hamburgi 1. Ian. 1642.

Num. XXV.

Copia Declarationis Cæsareæ ad Serenissimum Regem Daniæ super Tractatu Hamburgensi.

Epistola Cæsarea Declaratoria.

M*INISTRI Regis Hungariæ istarum litterarum autores, male consuluerunt ipsius existimationi, dum suaserunt ut autoritate Tractatus a legato suo, sicuti iussus fuerat conclusi, publicè defugeret, Idque in negocio pacis, cuius mirificum desiderium magno strepitu antea ostentaverant. Nunc illis totum hoc artificium periit, & sese ipsimet prodiderunt.*

Notæ Marginales Comitis d'Avaux ad Epistolam Cæsaream.

FERDINANDUS III. Serenissimo Daniæ Regi, &c.

A *Multis iam annis Imperiales & Hispani id operam dederunt, ut viderentur quietem orbi Christiano procurare. Quod ut persuaderetur, quæsitissimis coloribus*

buis opus fuit, quorum inveniendorum singulares artifices perhibentur. Eos obiecerunt oculis præcipuè Germanorum, Danorum, Italorum, Anglorumque, fiductis etiam nonnullis, qui rem non noverant, aut in huiusmodi negotiis parum fuerant versati.

P*Rater cætera quibus Austriaci imaginarium hoc pacificandi propositum celebrius reddi & simulationi suæ fidem conciliari posse crediderunt, ad id potissimum nuperis Comitiis Ratisbonensibus abusi sunt. Ibi Rege Hungariæ qui coram aderat impulsore, nihil omiserunt eorum quibus tota belli invidia in socios Reges derivari posset. Effecerunt ut publico Concilii nomine ad Regem Christianissimum, & Serenissimam Sueciæ Reginam scriberetur, omnia ad pacem esse expedita dummodo placeret ea de re Legatos suos Hamburgi commorantes idoneis mandatis instruere, quasi nihil amplius tantum negotium moraretur. Etiam secundas post eas literas in Sueciam miserunt dum publicus Ordinum Regni Conventus agebatur, in celebriori luce suum scilicet pacis studium honestissimamque voluntatem exposituri. Impetrarunt eodem tempore à Serenissimo Rege Daniæ, ut eâdem de causâ Legatum Extraordinarium ad Comitia mitteret; Et ab Electore Brandeburgico, suis ut officiis Legationem prosequeretur. Sperabant persuaderi hoc pacto toti Germaniæ posse, non sine ardua molitione summoque labore ad tractationem de pace Suecos pertrahi. Hunc animum, hoc pro pace consilium, quod venditabant, impensius probaturi, inseri, curarunt posterioribus illis literis, Legatum Lutzovium sufficientissimè iam esse instructum mandatis ac potestate de præliminaribus pacis generalis cum Legatis Gallico-Suecicoque qui Hamburgi essent transigendi.*

E*Xinde Daniæ Rex ad Legatum Galliæ scribit eumque ad inchoandam tractationem invitat, internuncio Consiliario suo Domino Langermanno, quem literis, ut vocant, Credentiæ, quæ mandatis fidem arrogent, instruit.*

P*Ergit ulterius Rex Daniæ, innixusque frequentibus literis totiesque asseveranti Regi Hungariæ confisus, per epistolam Legato Gallico promittit Imperatorem Regemque Hispaniæ rata habituros omnia, de quibus cum Legato Lutzovio circa præparatoria pacis convenisset.*

H*Is insistentes fundamentis Gallicus Suecicusque Legati, interveniente Langermanno, qui plus quam trium mensium operam huic rei impendit, Tractatum illum, de quo nunc agitur, perfecerunt signaruntque, atque una cum ipsis Lutzovius plenipotentiâ Regis Hungariæ munitus, autoritate Imperialis Consilij approbatus, Regisque Mediatoris expromissione sublevatus. Et tamen ecce acta gestaque eius repudiantur & reiiciuntur.*

S*I adversarij tam parum integrè versantur in re non adeo magni momenti qualia sunt præparatoria tractationis de pace, quid tandem de religione fideque eorum sperari potest ubi pax ipsa, resque totius Christiani Orbis maxima agentur?*

PEriculosum foret & indignum, in ipso limine tractationis hujus, permittere Austriacis eam autoritatem, quâ quæcunque lubet aut approbant aut inficiantur.

DEnique illi publicæ tranquillitatis tam cupidi, qui nos toties cessationis insimulaverant, ubi nos conferre gradum vident, quantum possunt resiliunt, ut tam obscurum amplius esse nequeat inopinatò illis hanc nostram liberalitatem accidisse, non enim speraverant futurum ut acciperemus quæ offerebantur.

SEd necesse est ipsas expendere literas quæ ita habent.

UTrasque Dilectionis Vestræ 19. Novembris & 24. Decembris anni proxime elapsi datas literas recte accepimus, atque ex iisdem pariter atque ex appositis scripturis liquidius intelleximus, quantum ac quousque in compositione Præliminarium ad instantem Congressum universalem adhibita apud Gallicos simul ac Suecicos Hamburgi commorantes Ministros Dilectionis Vestræ operatio profecerit; inprimis verô, quemadmodum apud Nos Titulum (1) Tutricis ac Regentis pro Ducissa Sabaudiæ se obtenturam Legato Gallico quasi in antecessum expromittere sit coacta; Nos proinde amanter atque enixe requirendo, (2) ne datam in hac expromissione fidem suam destitui simulque præsentis aperturæ occasionem denuò elabi negotiumque hoc incassum ac nihilum recidere patiamur.

1.

MInistri Regis Hungariæ suppresserunt hic aliud postulatum, quod literis Regis Daniæ continetur, de Plenipotentia nempè Hispaniæ Regis, deque ratificatione Tractatus Hamburgensis.

2.

REx Daniæ non minus Ratificationem, Tractatus quam Salvum Conductum pro Sabaudia postulavit. Utrumque enim in se receperat, & pro utroque expromiserat literis ad Legatum Gallicum scriptis quarum exemplum ab ipso Viennam missum est. Sed Imperiales omittunt illam partem de Ratificatione, quandoquidem eam præstare nolunt. Primo itaque intuitu largiri aliquid Regi videntur, sed reipsa interpositionem eius fidemque ab ipso datam frustrantur.

TAmetsi igitur neutiquam dubitemus quin noster tum Hamburgi commorans Consiliarius Imperialis Aulicus Conradus à Lutzaw, juxta præscriptum ac tenorem Cæsarei nostri ad ipsum XIX. Decembris expediti mandati ad Dilectionem Vestram pluribus retulerit, quibus & quam gravibus ducti (3) rationibus petitum Titulum Ducissæ Sabaudiæ hactenus censuerimus denegandum & Dilectio

3.

OTiosè hæc repetuntur, postquam de ea controversia iam transactum est.

Quod

Quod si quis iura Serenissimæ Ducissæ Sabaudiæ (cum & possessione sua se tueri possit) fusius a nobis explicari velit, rem actam ut agamus postulat, totumque negotium a primordiis repetere iubet. Huc videlicet tendunt Imperiales sicut ex sequentibus apparebit.

4.

ITa est, multa tandem concessit Rex *Hungariæ, quia primum omnia negaverat; etiam iustissima, & sine quibus confieri huiusmodi tractationes nequeunt. Adeo quidem ut ab initio nullos Salvos Conductus Germaniæ Principibus quibuscum* Gallia Sueciaque *fœdus est impertiri voluerit. Verum si adversæ parti Rex Hungariæ decessit de tam multis qui fit ut nihil nunc tribuat autoritati Mediatoris, fideique pactionis solennis & consummatæ.*

ctio Vestra quoque intellexerit, hocce ad Tractatus principales non vero ad Præliminaria spectans negotium non esse idoneam neque sufficientem causam cur Franciæ Rex à Congressu illo sese potuerit aut debuerit abstinere :: tum Dilectioni Vestræ satis notum est, quot & quam diversis adversæ partis Petitionibus iam ante (4) detulerimus, neque tamen ille ab omnibus desideratus Congressus post tot tantasque à summæ authoritatis Interpositoribus factas sincerationes, à parte adversa ad optatum fuerit promotus effectum : Vt ut autem sit, amicam atque enixam Dilectionis Vestræ requisitionem benevolè accipimus, inprimis vero in facta expromissione, vel hoc consideramus, quod Dilectio Vestra petitum Salvum Conductum eum in modum desideret uti ambobus Sabaudiæ Principibus ratione Tutelæ à Nobis ipsis commissæ neutiquam fraudi, præiudiciovè sit.

AC proinde Nos erga Dilectionem Vestram ita declaramus, quod dictum Salvum Conductum pro Ducissa Sabaudiæ eo plane modo, quo Dilectio Vestra à Nobis postulavit, sub die hodierna (Tit.) Comiti ab Auersberg transmittimus, illique simul clementer præcipimus, ut eundem penes se (5) retineat, neque ante extradat, donec (6) omnia in præliminaribus sint transacta & composita, & universum negotium à sola extraditione huius Salvi Conductus pendeat, verumtamen excipimus & reservamus nobis hic expresse quod quando tandem ad realem extraditionem fuerit perventum, quo huius Tituli in bis duntaxat Salvis Conductibus facta concessio prædictis Sabaudiæ Principibus in iuribus

5.

QVod Rex Hungariæ Daniæ Regi altera manu largitur, id retractat altera, Concedimus inquit Salvum Conductum, sed ne à nostro Legato tradatur, id vero cavemus.

6.

TEmpus quo tradi hunc Salvum Conductum Rex Hungariæ iubet indefi-

indefinitum est, neque definietur, nisi quando id ipsi visum fuerit. Quoniam enim post solennem Tractatum Præliminaria nondum determinata esse censet, nunquam profecto de negotio transactum videbitur nisi cum ex usu ipsius erit.

7.

QVam hæc Tutela de iure commissa sit, ipse Rex Hungariæ ostendit in simili causa, ubi tamen contrariam in partem sententiam dixit. Ante paucos enim annos Ducissæ Megapolitanæ Viduæ tutelam filii sui, & ditionum eius administrationem adiudicavit, neglectis omnibus iis, quibus pupilli patruus causam suam videbatur tueri. Nunc vero quoniam in causa Sabaudica agitur commodum Regis Hispaniæ, Iurisprudentia Viennensis longe alia est, qualis esse eorum solet, qui nigra in candida vertunt.

bus ipsorum realique possessione concreditæ, per nos, ipsis & de (7) iure commissæ Tutelæ ne vel minimum quidem præiudicium creari, sed ad almam saltem Pacem provehendam, liberandamque (8) Dilectionis Vestræ hac in parte datam Regiam fidem, hac tantum vice concessum intelligi velimus.

8.

NVllo modo fidem Regis Daniæ liberat, neque enim aut suam aut Hispaniæ ratificationem mittit, quas expromissio Regia complectitur. Et Salvo Conductui pro Sabaudia talis est annexa conditio, quæ existere, nisi quando ipse volet, non potest.

AD reliqua omnia quæ à Consiliario nostro Imperiali Aulico mediante Dilectionis Vestræ Consiliario Domino Langermanno cum Gallicis Suecicisque Ministris acta sunt, & partim ex nostra, partim etiam aliorum Intercessorum ratificatione atque ulteriori resolutione (9) pendent, exinde singulari cum grati animi affectu agnoscimus indefessum & constans Dilectionis Vestræ studium quod hactenus promovendo Congressui illi sedulo atque indesinenter impendit. Id Dilectioni Vestræ merito sempiternam nominis sui gloriam conciliabit.

9.

VIdentur Viennenses satis negligenter legisse pactionis Hamburgensis articulos, vel parum sincere recitare. Neque enim illa pendet ex Ratihabitione Regis Hungariæ aut cuiuspiam, sed eum ad ratihabendum obligat. Hæc enim vis est atque efficacia illius plenipotentiæ quam Legato suo attribuit.

10.

PLusquam triennium est quod Legatus Gallicus Procancellario Curtio idem

ET licet neque cum (quod Nobis quidem liquet) ulla istiusmodi (10) legitimatio ad tractandum cum Cæsareis nostris Ministris à Gallico Legato

idem de pace negotium Hamburgi tractanti (cum id exposceret) Ministri Regis Daniæ mandatum quod habebat procuratorium edidit, quo ipsi facta est potestas transigendi & de pacis præparatoriis & de pace ipsa. Exhibuit insuper Salvos Conductus quos Rex Christianissimus Plenipotentiariis Regis Hungariæ largiebatur ea forma quam ipse definiverat.

Legato fuerit exhibita atque ipsemet fassus sit, id quod hac vice hac in re actum est, absque (11) mandato actum esse, nihilominus tam pro nostra quam Serenissimi Hispaniarũ Regis parte, inprimis in duarum ad dictos Tractatus Vrbium Monasterii nimirum & Osnabrugæ (12) electione conquiescimus.

11.

Gallicus Legatus Tractatum de præliminaribus pacis conclusit pure ac simpliciter Regisque sui ratificationem promisit, eamque accepit, & in promptu habet. Cum iam signasset Tractatum, scripsit fortè Regi Daniæ se respectu ipsius fiduciaque Regiæ expromissionis in aliquid consensisse etiam præter mandata: nempè quod de die convenisset inchoandi Conventus antequam Salvi Conductus omnes, quemadmodum mos & fas iubebant, essent traditi. Quin eâdem omnino Epistola continetur expresse Regem Christianissimum quæ suarũ partium in Tractatu isto futura essent, impleturum.

Duæ illæ obiectiones adeò frivolæ abunde demonstrant Ministros Regis Hungariæ viam quâ elabantur circumspicere, curâ autem procurandæ pacis omnino non tangi.

12.

HIc consensus de loco, Civitatibus nempe Monasterio & Osnabruga, ambitiosus est, Cuiusmodi sunt omnia pleraque quæ sequuntur quæsitis studio verbis & affectatâ prolixitate plena. Scilicet hoc artificio aures atque animos populi detinendos crediderunt, ut cum tantum apparatum vident, credant res maximas concedi. Sed si paululum excutias, solidi nihil inest. Quantum enim ad urbes nominatas attinet, de iis iam tempore Comitiorum Ratisbonensium Rex Hungariæ consenserat. Vti ex recessu Imperij, quem vocant, publice edito apparet. Sed ea res opportuna visa est quæ hic rursus locum inveniret.

13.

COnsensus iste, mera ludificatio est. Sueci enim Osnabrugæ militare præsidiũ habent: Monasterium verò se præsidio oppidanorum tuetur, nullus ibi Regis Hungariæ miles est. Cum itaque Pacis studio id ultro largiti sunt Sueci, ut milites sui

NEc secius acceptamus & consentimus, (13) ut statim post traditos hinc inde Salvos Conductus præsidia moderna, quæ Civitatis disciplinæ non sunt obnoxia, educantur, & quam diu Tractatus in una alteraque Vrbe duraverint, tamdiu earundem custodia ac defensio ipsismet civibus atque incolis concredatur.

sui præsidiarii tam ex Urbe Osnabruga quam ex arce deducantur, inque eo negotio solum Suecorum consensus vertatur, belle profecto & festive Imperiales aiunt se quoque consentire. Quid est fumum vendere si hoc non est?

14.

Quidni velit quando nolle non potest? Neque enim Osnabruga in ipsius est potestate.

15.

Memorabile sane & inauditum beneficium est, mandare Archiduci & Piccolominio ne vi armata Osnabrugam accedant, & obtorto collo ad carcerem rapiant qui de pace tractaturi eò convenerint. Sed cur eandem securitatem Monasteriensi Conventui non spondent? Hac diversitas aliquid monstri alit, quemadmodum & conditio sub qua illam securitatem largiuntur. Nam si illa obtineri nequit nisi tum demum, cùm omnes legati Regum Principumque quorum de negotio agetur, atque adeo ipsorum Mediatorum congregati fuerint: (ita enim verba sonant) periculosa omnino foret festinatio & acerbum fortassis diligentiæ præmium. Præterea Sueci hostium suorum dubiæ fidei exponerentur, qui innixi ambiguitate huius articuli, facile inde prætextum invadendi loci illius occupandique arriperent. Dicat fortasse aliquis Monasterium esse ditionis Electoris Coloniensis, itaque ab armis Regis Hungariæ [illegible] satis tutum esse. Quod si ita est, cur igitur postulant a fœderatis Regibus ut reciproce sese obligent tutam per ipsos fore Osnabrugam? Cum enim illa sit

VOlumus (14) etiam ut Civitas Osnabrugensis durantibus hisce Tractatibus privilegiis suis gaudeat, in eorumque fruitione manuteneatur ac conservetur, nec Magistratus in præsenti tàm Ecclesiarum quã Scholarum dictæ Civitatis constitutione ulla ratione perturbetur.

DEmum etiam licet Salvi Conductus nostri Cæsarei tam loco ad Tractatus assignato, quam etiam personis quibus ij sunt concessi omnem sufficientem præstent securitatem, ex superabundanti (15) tamen Charissimi fratris nostri Dilectioni & omnibus sub ipsius ductu militantibus gratiose ordinatum volumus, quemadmodum sub dato hodierno ordinamus atque inhibemus ne durantibus hisce Tractatibus adversus civitates Osnabrugensem & Petersburgensem ab eo quo nostri, tum Interpositorum, & aliorum Regum ac Principum Legati, Osnabrugam intraverint, quicquam infestum aut hostile consilio aut facto (quocunque tandem nomine id vocari possit) suscipere aut attentare ausint. Idem Dilectioni Vestræ tam de Serenissimi Hispaniæ Regis Catholici armis (quoad hostes quoque ipsius id veniant quæsitum) quam duorum Bavariæ & Saxoniæ Electorum concreditis Imperialibus copiis promittimus & asseveramus, certo confisi partem quoque adversam vicissim similiter stipulaturam, neque Dilectionem Vestram hoc nomine idoneam (16) ab ipsis fidem & sufficientem securitatẽ accipere recusaturam, sibique necessaria ad hoc mandata militaria ad manus suas tradenda curaturam, quemadmo-

lä sitinris Suecici, pari omnino ratione vel ab ipsis vel ab ipsorum fœderatis expectare periculum non debet.

admodum nos, talem in eventum Dilectioni Vestræ transmittenda tradendaque curare non detrectamus.

16.

SAtis hinc apparet quemadmodum & ex universo Epistolæ contextu nihil quærere Imperiales quam ut totum negotium variis remoris ac difficultatibus implicent perplexumque reddant. Idcirco proponunt Regi Daniæ novis securitatibus novis utrinque Declarationibus opus esse, idque & ad Regem Hispaniæ & ad eius hostes extendunt, neque tamen quos intelligi hostes velint, diserte explicant. Atque hæc omnia ut novæ tractationis materiam subministrent, sed illius longè difficilioris magisque inextricabilis quam nupera fuit, cui tamen totum quinquennium impensum est.

ET cum de omnibus quoad promovendam necessariam hinc inde correspondentiam, reciprocam litterarum transmissionem, cursorum & nuntiorum expeditionem, & cætera hisce annexa pertinent, iam in accordatis ex utraque parte Salvis Conductibus optimè provisum sit, in eo lubentes penitus conquiescimus, certa freti spe, ut quemadmodum ex hac parte fiet, ita etiam ex altera quicquid ita factum conventumque est ritè adimpleatur.

17.

HOc iam Hamburgensi Tractatu cautum, præterea ex ipsa æquitate naturali communique iure ac consuetudine petitum est, adeo ut hic consensui Regis Hungariæ pro luculento aliquo indicio animi ad pacem propensi accipi nequeat.

QVod si (17.) verò præter omnem spem atq; expectationem Congressus & Tractatus isti absque conclusa desideratissima Pace dissolvantur, Volumus nihilominus ut intra sex proximas hebdomadas contra Osnabrugam & Petersburgum nihil hostile attentetur, vel Suecica Corona impediatur quominus præsidium suum denuo illuc introducat, (18) dummodo idem respectu civitatis Monasteriensis observetur.

18.

HÆc quoque conditio captiosa est, Monasterij nullum habet militare præsidium Rex Hungariæ, quod ibi est, Magistratui urbis sacramentum dixit, neque inde deducetur. Itaque hic omnia

 disparia.

disparia. Sanè id captare videntur Imperiales, ut abuti illis liceat indulgentia & facilitate Suecorum, qui ut hoc negotium pacis promoveant, ultro sese offerunt ad præsidia sua Osnabruga & Petersburgo deducenda.

19.

M*Anifestissima hæc est tergiversatio. Hactenus Rex Hungariæ Legato suo LutZovio ipsique Regi Daniæ scripserat atq; adeò inseri, typis excuso Recessui nuperorũ Comitiorũ curaverat, quò maturius inchoari tractatio pacis possit, id eo sibi futurum gratius. Hac fiduciâ Lutzovius una cum Legatis Regum Galliæ & Sueciæ diem XXV. Martii definivit. Nunc verò Regis Hungariæ Ministri cùm expressè & disertè approbare eam definitionem deberent, quemadmodum fecerunt supra in rebus generalibus & levioris planè momenti, satis habuerunt canere eandem cantilenam* quò maturiùs eò gratius. *Quid vetat quominus post decem & plures annos idem nobis occinant, & interim nihil fiat? Testari possunt omnes Legati qui sunt Viennæ, annon Ministri Regis Hungariæ apertè primum conquesti sint diem XXV. Martii nimis maturam esse, seque spatiis admodum iniquis includi. Sed re diu multumque deliberata, consultius duxerunt, profiteri nunquam satis in tam grato negotio festinari posse, sedulo tamen caventes ne vel diei iam dictæ acquiescerent vel aliam saltem præfinirent*

AD diem quod attinet, quo cùm reciproca Salvorum Conductuum extraditio fieri, tum Congressus ille universalis initium suum re ipsa sumere debeat, Nobis & Serenissimo Hispaniæ Regi Catholico etiamnum eo erit gratius, (19) quo maturius is constituetur, & congressus ille realem suum sortietur effectum, & jam pridem nostris ad hoc Deputatis Plenipotentiariis, uti in procinctu sint, benigne iniunximus, præstolabundi, quod & Gallicus Hamburgi (20) commorans Minister petitos ex nostra parte Salvos Conductus in debita forma tandem ad manus Dilectionis Vestræ traditurus sit, prout ab etiam præfato Legato nostro Comiti Auersbergi idonea dedimus mandata quò Tractatibus hisce inchoandis dies Salvis Conductibus (21) inseratur, adeoque Cæsarei nostri Salvi Conductus perfecti & absoluti Dilectioni Vestræ tradantur.

20.

P*Er Legatum Galliæ nulla mora est quominus tradantur Salvi Conductus de quibus in Pactione Hamburgensi inter partes convenit, namq; quos ille stipulanti Legato LutZovio promisit, omnes ex Gallia ad ipsum in debita forma transmissi sunt. Sed Rex Hungariæ dum generaliter loquitur* de Salvis Conductibus, *protrahere haud dubie negotium cogitat, postulationibus novis, quibus assentiri Regem Christianissimum non posse, ipse non ignorat. Huc pertinet quod cum Salvus Conductus quem Lutzovius pro suis Dominis fœderatis stipulatus est, is sufficiat si bona fide pacem quæro-*

quærerent, nunc specialem tamen pro Duce Carolo flagitant, cui etiam titulum nomenque Ducis Lotharingiæ *tribui postulant. Immò super hoc Salvorum Conductuum negotio alias adhuc difficultates comminiscuntur, si fidem adhibere fas est viris illustribus atque adeò partium Austriacarum studiosis, qui prolixe ea de re Viennâ scribunt. Quorum unus Epistolam hoc claudit epiphonemate:* In summa, Tractatus Præliminarium pacis totus hic displicet, utinam ne ipsa pax.

21.

MAndatum de Die Salvis Conductibus inserendo, quemadmodum & Consensus ille de quo sequens loquitur articulus, res nihili sunt. Sed Ministri Regis Hungariæ corradunt undique, quibus vulgo persuadeant, id omnibus modis a se agi ut via Tractatus de pace expeditior sternatur.

QUin etiam ut loco fratrum Palatinorum, Ducum Brunsuicensium cognatorum ac fratrum, & Landgraviæ Hassiæ Cassellensis, Domus Palatina, Brunsuicensis & Luneburgensis, uti & Hassiæ Cassellensis in Salvis Conductibus perscribatur similiter consensimus, atque ita de integro expeditos Salvos Conductus sæpe dicto Comiti Auersbergio transmisimus.

SUper unico duntaxat loco quo inter Monasterium & Osnabrugam ad promovendos Tractatus necessariaque inter Legatos instituenda colloquia & conferentias oportunus & omnibus partibus gratus esse possit, Declaramus (22) nos ac resoluimus, quod quicquid per nostros Cæsareos, atque alios Regios Monasterij & Osnabrugæ tum futuros Legatos ea super re determinabitur, id ratum firmumque erit, prout ad Tractationem illam Legatus noster satis comparebit instructus.

22.

IN hac parte Viennenses pro Imperio decernentem Dominum suum & quasi edicta scribentem introducunt, neque animadvertunt quod & ad Regem scribit, & de negotio de quo inter alios Reges & ipsum pari iure agitur, qui profectò ad hunc modum reddere illi suas voces iustissimè possent. Declaramus nos ac resolvimus quòd quicquid per nostros & Regis Hungariæ Legatos Hamburgi super ea re determinatum est, id ratum firmumque sit. *Sed quid causæ est, cur Imperiales hunc articulum Tractatus Hamburgensis reiiciant? Nimirum ne Plenipotentiarii Galliæ Sueciæque in aliquo loco medio inter Osnabrugam & Monasterium congredi & negotia invicem communicare possint. Hoc non est viam quâ ad pacem eatur planiorem reddere.*

QUoad illud autem quod inter Consiliarium nostrum Imperialem Aulicum & Gallicos Succiosque Ministros agitatum est, ut nimirum ad lucrandum tempus omnia quæ in Congressu hoc universali reciprocè extradere necessum est, Hamburgum (23) deferri atque ibi per Dilectionis Vestræ Deputatos eorundem extraditio fieri debeat, nos quidem iam olim omnes eos Salvos Conductus quos nostris ad Colonienses Tractatus deputatis Legatis trãsmiseramus, nostro itidem Hamburgi commoranti Consiliario Imperiali Aulico eum in finem transmisimus (quemadmodum eosdem ibi in Prototypis reperire est) si res ita postulaverit etiam illic extraderentur, sed illos tamen sub dato etiam hodierno Legato nostro Cæsareo denuo mittimus, & adhibebitur debitis locis curatio necessaria, ut & ii Salvi Conductus qui à Serenissimo Cardinale Infante Hispaniarum fœlicis recordationis, Oratori Veneto Lutetiam transmissi, in eiusdem adhuc versantur manibus, Hamburgum quoque remittantur.

23.

HÆc approbatio eiusdem generis est cum superioribus, comparata nempe ad illam pacifici animi ostentationem quâ se tuentur Austriaci. Etenim consentire ut Hamburgi Salvi Conductus utrinque mutuo tradantur id non est initium Tractatuum constituere, nec difficultates eas tollere quas Consiliarii Viennenses excogitatione ut a pactione Hamburgensi recederent. Acquiescunt itaque & immorantur, aut nullius, aut exigui momenti articulis ut videantur negotium promovere; quod aliunde totum subvertunt.

AD Serenissimum etiam Hispaniarum Regem (24) super confirmatione omnium à prædicto Serenissimo Cardinale Infante datorum Salvorum Conductuum primo quoque tempore scribemus, nihilominus sperantes quòd ne propterea donec inde veniat responsum (25) dicti Tractatus non inchoëntur.

24.

HUngariæ Rex Legató Lutzovio potestatem fecit pro Rege quoque Hispaniæ tractandi. Conventum est cum Lutzovio ut Rex Hispaniæ Salvos Conductus ad certum modum conceptos largiretur, aut saltem confirmaret à Fratre Cardinali Infante quondam concessos, ita enim ius fuit, cùm morte extinguatur mandatum. Quid ad hæc Hungariæ Rex? ait se scripturum in Hispaniam, & tardè inde rediturum responsum ipse prævidet. De quo quid sperare aut credere socii Reges debeant facile apparet.

25.

EXcusari possent homines tanta impetu tantoque ardore ad pacem properantes, quales videri volunt Ministri Regis Hungariæ, nisi isti præcipitationi in quam conii-

cere

cere adversarios cupiunt tam male conveniret cum singulari illo studio repudiandi Tractatum solennem qui omnibus huiusmodi controversiis ac litibus finem imposuit.

26.

DIctum est superius & verissima est assertio, Tractatum Hamburgen*sem non pendere à benigna aut gratiosa ratificatione Regis* Hungariæ. *Ipsa inspectio lectioq; articulorum ostendit, quod ratificationem Regum Galliæ, Sueciæ, Hungariæ, Hispaniæque invicem stipulati sint Legati, promiserintque pure & simpliciter. Inter quos Lutzavius in præfatione Tractatus nomen titulumque ipse sibi sumpsit* ad pacis præliminaria cum potestate deputati Legati.

27.

NOn debet præsumi Tractatum *Hamburgensem ullo pacto dignitati Regis Hungariæ & autoritati Imperii repugnare. Perfectus enim & cõclusus est per consiliarium Imperialem, & quidem interventu Mediatoris qui inter Principes Imperii recensetur. Ideò nec disertè explicant, quænam sint enormia illa autoritati suæ repugnantia. Formidant quippe ne illis sigillatim enumeratis manifestum fiat omnibus, aut nihil revera existere huiusmodi, aut si quid non eius momenti id esse,*

QUicquid verò in illa à Dilectione Vestra nobis transmissa inter Consiliarium nostrum Imperialem Aulicum & Gallicos Succicosque Ministros agitata, & ad nostram benignam (26) ratificationem conclusa transactione, supremæ nostræ & Sacri Imperii authoritati (27) repugnans comprehenditur, huic neutiquam assentimur neque approbamus, Dilectionem Vestram amice ac studiosè requirentes, ut iuxta hanc nostram Declarationem partem quoq; adversam eò velit disponere ac permovere, quò & ipsa Congressum hûc sincerè absque ulla fraude & (28) captione suscipiat inchoandum ac promovendum, quem in finem sæpe dicto Legato nostro Comiti (29) Auersbergio benignè mandavimus ut si ita Dilectioni Vestræ (30) placitum fuerit, eisdem Deputatis ulteriorem super omnibus proponat (31) explanationem coniunctâq; opera ac studio eò incumbant ut ab omnibus optatæ illius Pacis tractationi exordium re ipsa ponatur.

ut tanta rei negotium quo cum tranquillitas publica coniuncta est, debeat rescindere. Quanto satius fuisset chartæ parcere, neque totas octo paginas opplere, ut dicerent Regem Hungariæ incomparabili studio ad pacem ferri, per ipsum licere, ut de ea Monasterii & Osnabrugæ tractetur: Legatis Regum ac Principum illic sine ullo periculo atque adeo tutis esse licere: Diem inchoandæ rei præfinitum, quando de eo conveniret, Salvis Conductibus inseri posse: Consentire eundem Regem ut Salvi Conductus concipiantur pro Domo Hassiaca, non pro Landgravia Hassiæ : & huiusmodi alia plurima de quibus vel nullum esse dubium possit, vel omnino nunquam actum est. Vt rectè defenderetur hæc inficiatio eorum quæ hactenus conclusa sunt, conveniențius erat, omissa illâ inutili enumeratione rerum generalium, signatè & per species deducere,

quibus

quibus rationibus motus in eam sententiam descenderit Rex Hungariæ ut, non sine læsione existimationis suæ, pessimo exemplo, dissolveret reiiceretque Tractatum de quo suis mandatis instructus pro pace Legatus suus convenerat: ut nihil respiceret Mediatorem tantæ dignationis, ut denique toti Orbi Christiano patefaceret nondum placere sibi bellorum calamitatibus finem imponi.

28.

P*Ostulat Rex Hungariæ ut nova Tractatio instituatur, utque Galli ac Sueci* sincere absque ulla fraude & captione eam suscipiant. *Nempe profecto ab illis deceptus est, quando citiùs liberaliusque quam speraverat, de die ordiendæ pacificationis consenserunt. Cæterum ad suos omnino Ministros hanc Censuram aut admonitionem iure optimo transtulisset. Neque enim ullus in istis Declaratoriis litteris locus est qui fraudibus & captionibus vacet.*

29.

F*Rustrantur nos suis mutationibus Austriaci. Vbi vident cum Lutzovio convenisse, eum revocant, & Comitem Auersbergium summittunt. Si & cum eo transigeretur, tertium nobis obiicerent. Sed expletis mandatis Legatorum utriusq; Regni & potestate eorum finita, tam quod subscriptione solenni signarunt Tractatum de quo quæritur, quam quod secuta est* Ratihabitio *Regis Christianissimi Reginæque Sueciæ in ipsis amplius situm non est hoc tempore quicquam novare aut redordiri sine novis mandatis.*

30.

D*Ifficile est Daniæ Regi placere posse hos mores, Principi iusto, quique autoritatem annorum quadraginta quinque quibus feliciter regnat pari prudentia tueatur. Hinc est quòd contentus exemplum harum litterarum ad legatos Gallicum Suecicumq; misisse, nihil ipse scripsit, neque agere cum illis perrexit quemadmodum summo studio antea fecerat. Sane infra dignitatem suam esse credidit ludificationibus Domus Austriacæ operam suam porrò commodare, quandoquidem illa satis male utitur amicis suis non minus quam propriis Ministris, quod innoxie simplices persuaderi sibi passi sint verè illam voluisse promotum negotium pacis.*

31.

V*Nicum est, quod Comes Auersbergius Gallico Legato proponi ab eoq; peti curavit, nempe ut communicetur sibi mandatum seu plenipotentia, quam haberet a Rege Christianissimo pro negotio præliminarium pacis secum incohando. Quæ propositio prorsus illusoria est, arguitq; consilium retractandi difficultates universas per Pactionẽ illam solennem cum prædecessore ipsius sopitas & sublatas. Adeo per illos nullius tandem litigandi finis erit.*

Insu-

INsuper Dilectioni Vestræ pro fœlicis & pacati anni precatione condignas merito agimus gratias, vovemusque vicissim ut Dilectionis Vestræ laudanda sollicitudo ac cura desideratum ab eadem atque aliis omnibus scopum cõsequatur, atque ipsa unà nobiscum Sac: Rom: Imperij Patriæ nostræ charissimæ tum Regnorum ac Provinciarum suarum, atque universæ Reipublicæ Christianæ constituta pace, adeoque impensæ suæ laudabilis operæ fructu, in plurimos consequentes annos prolixissimè gaudeat: De cætero eidem Dilectioni Vestræ constantem sinceræ benevolentiæ & amicitiæ affectum cumulate offerentes.

Vienna prima Febr.
1642.

QVamvis Ministri Regis Hungariæ datâ operâ amplificaverint Literas istas concessionibus rerum aut nihili, aut superfluarum, aut quæ non fuerunt controversæ, quæque apud omnes in confesso sunt, & ne verbo quidem attigerint quæ sint illa quæ reiiciunt in Tractatu Hamburgensi; Si quis tamen Literas cum Tractatu conferat, facilè apparebit (præter id quod autoritatem sibi arrogant dirigendi iubendique omnia pro imperio) unicè id agi ut vel excludantur vel mutentur omnia capita precipua. Qualia sunt, Vnitas & connexio duorum Conventuum. Securitas loci cuiusdam medii inter Monasterium & Osnabrugam in quo communicaturi invicem Plenipotentarii utriusque Regni conveniant: Neutralitas illarum urbium durante tractatione: Literæ Reversales Magistratuum utriusque loci quibus securitati Ministrorum externorum Regum Principumque prospiciatur: Declaratio denique Salvorum Conductuum qui utrinque tradi debeant.

DEcapite postremo Salvorum nempè Conductuum toto triennio pugnatum; tandem cum Legato Plenipotentiario Regi Hungariæ transactum est. Et ecce denuo ad primordia revocamur. Interim manifestissime omnes perspiciunt sola Domus Austriacæ culpâ fieri quod tractatio pacis non inchoëtur. Illi quoque qui partibus ipsius maximè favent, qua ratione hanc tergiversationem defendant, non reperiunt. Rex Daniæ quid sentiat ipso silentio profitetur, magna sane constantiæ gloria. Quamvis enim sit Princeps Imperii, habeatque negotia gravissima, quorum ad Aulam Viennensem cognitio pertinet, adeo tamen sanctè religioseque insti Mediatoris officium fungitur, ut postquam viam qua ad pacem perveniatur utrisque partibus aperuit, quos sponte aberrare ac declinare videt; nec defendendos tales suscipiat nec operam suam iis amplius largiatur, licet impense prolixeq; his literis ut id faceret invitatus. Hoc solum illis tribuit quod unum potest, ut sileat. Etenim si alia fuisset rerum facies, si Rex Hungariæ ratum habuisset. Tractatum Hamburgensem, Galliâ fortè Sueciâq; refragantibus aut tergiversantibus, tantum profectò criminis contractum foret quantum ipse Albis vix omnibus undis elueret.

Lit. A.

Copia Ratihabitionis Cæsareo-Succiæ super Tractatu præliminari Pacis universalis.

IN:

Simili mutatis mutandis expedita est Cæsareo-Gallica.

FERDINANDVS III. &c.



GNOSCIMUS & notum facimus tenore præsentium, quod cum inter consiliarium nostrum Imperialem Aulicum Conradum à Lützaw, pro nobis, & Serenissimo Hispaniarum Rege Catholico consobrino, Affine & Fratre nostro charissimo ex una; & Serenissimæ Reginæ, Regnique Sueciæ aulæ Cancellarium Ioannem Adlerum Salvium ex altera, partibus; conventio quoad præliminaria pacis Universalis Hamburgi 25. Decembris, anni proxime elapsi, in eum qui sequitur modum concepta fuerit.

Hic.

Hic insertum erat instrumentum, ut ante hac typis vulgatum.



OS proinde nihil in nobis desiderari cupientes, quod ad tam salutare pacis negotium promovendum ullo modo pertinere possit, præinsertam conventionis formam per omnia confirmavimus, ratihabuimus & approbavimus, prout vigore præsentium confirmamus, ratihabemus, & approbamus. Harum vigore literarum, manus nostræ subscriptione & sigilli Cæsarei Impressione munitarum. Quæ dabantur in civitate nostra Viennæ, 22. die Mensis Iulij. 1642.

Lit: B.



Lit. B.

Copia animadverſionum Legati Salvij ad Præd. ratificationem Cæſ:

Hæc ratihabitio videtur ambigua, fallax, inſufficiens & eluſoria.

1. QUOD ſi enim externã formam, id eſt modum ipſum (ſive ut vulgo vocant) conceptum intelligas, parum ad rem fuerit larvam ratihabuiſſe, indole nucleoque neglectis.

2. Sin internam accipias, eſt ea quidem formati pars, non tamen formatum ipſum, ut enim non ſola hominis anima eſt homo: Ita non ſola conventionis forma conventio, atque ita qui formam tantum approbat, non totum probat, ſibique insuper libertatem reſervans quamcunque inſtrumenti particulam non formam, prout uſus, tempusque poſtularint, nuncupandi.

3. Quemadmodum vero ambiguum eſt, utrum internam, vel externam intelligas: ita etiamſi utramque ſumas, tamen eſt inſufficiens ratihabitio. Conventio enim tota compoſitum quid eſt, non ſolum ex forma, ſed etiam ex materia, efficiente, fine, adeoque loco, tempore ac pluribus aliis circumſtantiis; qui igitur ex toto cauſarum, & circumſtantiarum acervo ſolam formam educit Baptizatque, is cæteras omnes, ſingulasque excluſiſſe videtur.

4. Ac licet hæc cuncta ſe ritè haberent, ludibrioſe tamen nunc primum dies tam commutationis inſtrumentorum, quam tractatus principalis ratus habetur; utpote quorum prior præterito die (15) (25) Februarij, alter (15) (25) Martij, uterque tot ante Menſes, culpâ Cæſareanorum irritus effluxit, ut neuter amplius ſervari poſſit.

2. Quin nec addunt Cæſareani cauti ſimulatores, ſe inſtrumentum in cæteris ſuis punctis, & clauſulis ſervaturos, vel executioni mandaturos, vel non paſſuros ut à ſuis ullo modo violetur (prout moris eſt, & in regnorũ inſtrumẽtis ſervatum) ſcilicet, ne tam craſſis prædicatis tranſcẽdentis formę abſtractioni inepte applicatis, obſcurior aliàs dol⁹ forte pateret.

Quæ omnia quamvis per se Manifesta sunt, aliis tamen argumentis firmantur.

I. ETenim litteræ Cæsareæ de 1. Februarij ad Serenissimum Regem Daniæ datæ, quædam tãtum probant in conventione Luzoviana, quædam verò (ut ipsa formalia sonant) neutiquã approbant. Aut itaque hæc ratihabitio contraria est dictis litteris, aut si id sacrilegium est suspicari, latentem continet distinctionem, qua utraque sententia salvetur; atque ita ambigua est, & fallax : Possunt enim dicere formam per omnia esse bonam; Materiam nihil valere; atque ita, si Dijs placet, habent intentum.

2. Ac tametsi reverentia Maiestatis candorem Cæsareæ existimationis à suspitione captatarũ eiusmodi ambiguitatum libenter excuset: Ministri tamen eò minus excusari possunt, quo notius est, eorum & scientiam, & conscientiam præcipua sui parte dependere à decantatis æquivocationum artificibus Iesuitis.

3. Nimirum universam per Europam vulgatum est, Cæsareanos nõ posse tractare pacem absque Hispanis, hos autem eandem iam diu nolle, Dominatum Europæ armis affectantes: Vt igitur odium protracti tractatus qualitercunque declinarent, nec tamen Ibericum desererent Achatem, commodum tali arte uti debuisse.

4. Quin ex aliis pluribus documẽtis, iam dudum evasit Manifestum, nec ipsos Austriacos sincerè hactenùs, serioque pacem voluisse: Sola ab Electoribus nuper ad Pontificem (ut is Regem Christianissimum ad pacem excluso Rege Hispaniarum, faciendam disponeret) decreta legatio, hanc iis ratihabendi necessitatem, necessitas artificium expressit, iam dictam legationem, per præsentem ratificationem eludendi.

5. Ac ut maximè ipsa sinceritas, & candor, pietatem harum fraudium mitius interpretari, & in præsens amore pacis tœdioque belli admittere vellet, nemo tamen, nisi partium studio occæcatus non videt, si quid contentorum imposterum minus sincerè à Cæsareanis servetur, imò si pleraque à parte violari contigerit, habere eos in his obscuritatibus colores, quibus nullam non perfidiæ atrocitatem, saltem ex post facto incrustare & palliare possint.

6. Neque verò prætereundum videtur: Primo, quod noluerint initio sui instrumenti Luzovium nominare legatum, ne consequenter fateantur, quod hactenus frustra renuerant, eum ut sic transigeret mandata habuisse,

habuisse: Deinde quod nec Legatis Regnorum, vel nomen, vel titulum Legati tribuerint; indignitate tum summis Imperiis, tum negotii de quo agitur, adeoque ipsius Regis Mediatoris, quasi is privatorum hominum actiones promoverit, authoritati praeiudiciosâ.

7. Denique ut ostendant, quam negligenter, & incuriosè res tantas tractent Viennae, circa finem eiusdem instrumenti, bis in eodem contextu posuerunt, vigore praesentium, & vigore harum litterarum.

Ex quibus omnibus apparet, eos rimas elabendi sectatos etiamnum bello posthabere pacem: Immemores severi iudicis sententiae, qua sancitum est, ut gladium qui eligit gladio tandem intereat.

Lit. C.

Allegata alibi sub Litt. D.

Copia Ratificationis Suecicae super Tractatu praeliminari.



NOS Christina DEI Gratia Suecorũ, Gothorum, Wandalorumq; designata Regina & Princeps hereditaria, Magna Princeps Finlandiae, Dux Esthoniae, & Careliae, Ingriaeque Domina, &c. Constare volumus Universis ac singulis, quorum interest, aut quomodolibet interesse poterit; quòd, cum difficultates nonnullae in praeliminaribus in primis locis atque die instituendorum de pace Universali tractatuum, pridem emerserint, iam verò inter nostrum & Caesareum Legatum Hamburgi dicta praeliminaria tandem conclusa, & Instrumentum quoddam praeparatorium Pacis confectum sit, cuius tenor est, qui sequitur verbotenus hic insertus.

Hic inserta fuit conventio Hamburgensis prout supra sub. n. 22.

Nos itaque Christina, eâdem gratiâ Suecorum, Gothorum, Wandalorumque designata Regina, & Princeps haereditaria, Magna Princeps Finlandiae, Dux Estoniae, & Careliae, Ingriaeque Domina, &c. Praedictum atque inter memoratos Legatos confectum Instrumentum praeparatoriorum Pacis in omnibus articulis atque clausulis approbavimus & ratihabuimus, prouti tenore ac vigore praesentium adprobamus & ratihabemus, nec passurae sumus, ut à no-

ſtratibus ullo modo violetur. In quorum fidem ac certitudinem maiorem, tabulas haſce ratihabitorias manibus Tutorum noſtrorum, & Regni Sueciæ Adminiſtratorum ſubſcriptas ſigillo noſtro Regio firmari iuſſimus. Dabantur Stocholmiæ die quintâ Januarii, Anno ſupra Milleſimum Sexcenteſimum, quadrageſimo ſecundo.

Petrus Brache Comes in Wiſſingeberg. R. S. DrotZetus.

Carolus Gildenhielm R. S. Ammiralius.

Hermannus wrangelius loco R. S. Marſch, &c.

Axilius Oxenſtierna R. S. Cancellar.

Gabriel Oxenſtierna. L. B in Mœrebii & Lindthelm R. S. Theſaurarius.

Andr. Gulten Dei, &c.

Lit. E.

Copia Ratihabitionis Cæſareæ ſuper Tractatu præliminari, Cæſareo-Suecico ad nutum Salvii correcta.

IN

Simili mutatis mutandis ſuper tractatu Cæſareo-Gallico.



GNOSCIMUS, & notum facimus tenore præſentium Vniverſis: Quod cum inter Conſiliarium Noſtrum Imperialem Aulicum Conradum a Luzzau ſpeciali mandato inſtructum pro Nobis, & Sereniſſimo Hiſpaniarum Rege Catholico, Conſobrino, Affine & fratre noſtro Chariſſimo, ex unâ; ac Sereniſſimæ Reginæ & Regni Sueciæ Legatum & Aulæ Cancellarium Ioannem Adlerum Salvium ex alterâ partibus; Conventio quoad præliminaria Tractatus pacis univerſalis Hamburgi 25 Decembris Anni proximè elapſi 1641. in eum, qui ſequitur modum concluſa fuerit.

Hic

Hic inserta erat conventio prout supra sub nu.21.

Nos proinde nihil in Nobis desiderari cupientes, quod ad tam salutare pacis negotium promovendum pertinere ullo modo possit, præinsertam conventionem per omnia confirmavimus, ratihabuimus & approbavimus, prout vigore præsentium confirmamus, ratihabemus, & approbamus: Non contrafacturi Nos ipsi, neque, ut ab aliis contra quicquam fiat, permissuri. In cuius rei fidem hasce manu Nostra subscriptas sigilli nostri Cæsarei impressione muniri iussimus. Quæ dabantur in Civitate Nostra Viennæ die 22. Julij, Anno.1642.

Lit. F.

Copia declarationis Cæsareæ super factâ ratificatione.

FERDINANDVS III. &c.



Niversis & singulis, quorum interest, & quomodolibet interesse potest, notum, testatumq; facimus. Cum ad aures Nostras pervenerit, circa Ratificationem super Conventione quoad præliminaria ad Tractatus pacis universalis inter Consiliarium Nostrum Imperialem Aulicum Conradum à Luzzavv speciali mandato instructum pro nobis & Serenissimo Hispan. Rege Catholico, Consobrino, Affine & fratre Nostro charissimo, ex unâ; & Serenissimæ Reginæ, Regniq; Sueciæ Aulæ Cãcellarium & Legatum Ioannem Adlerum Salvium ex altera parte Hamburgi 25. Decembris anni proximè præteriti conclusâ à Nobis 22. Iulij nuperi expeditam scrupulos ac dubia nonnulla excitata fuisse; Nos declarasse prout præsentium tenore declaramus, non fuisse, nec esse aliam mentem, vel intentionem nostram, quàm prælibatam Cõventionem in omnibus suis punctis, clausulis, & articulis, quantum per rerum naturam licuit & licet, confirmare & ratificare; Prout adhuc, & tenore præsentium authoritate Imperiali omni meliori modo ex superabundanti confirmamus & ratificamus. Ad terminos verò tam extradendis Salvis Conductibus, aliisque instrumentis, quàm Congressui ipsi auspicando præfixos quod attinet, cum ij tempore Ratihabitionis, di-

cto videlicet 22. Iulij, à nobis expeditæ, pridem elapsæ fuissent, atque idcirco confirmari non possent, illi defectui (per quem tamen cætera utilia nequaquam vitiari aut inutilia reddi posse explorati iuris est) supplendo non tantum Consiliario nostro Imperiali Aulico, & pro tempore ad accommodanda præliminaria Pacis Deputato, Magnifico nostro & sacri Imperij fideli dilecto Ioanni Weickardo Comiti ab Auersperg Libero Baroni in Schöen: & Seissenberg, Ducatus nostri Carniolæ supremo hæreditario Mareschallo & Camerario, in mandatis dedisse, ut de aliis terminis præfigendis cum altera parte vel partibus quantocyus conveniret; Verùm etiam Serenissimum Regem Daniæ & Norwegiæ ad hanc rem promovẽdam benevolè requisivisse, prout Serenitas sua amicè fecit, quãtumque in se fuit; Studium & operam in hoc suam Reipublicæ laudabiliter præstitit, adeòque inter partes de termino ad extradendos Salvos Conductus, & alia instrumenta de novo conventum fuit. Ac tametsi quidem de his omnibus publicè notissimum sit, attamen ex superabundandi de hâc mente, intentione & voluntate nostra testatum facere voluisse, & facere: cum hac insuper declaratione, quòd quicquid per prædictam Conventionem conclusum fuit, & imposterum quoad hæc præliminaria à dicto Legato Nostro concludetur, id totum firmum, & ratum apud Nos erit, & debitæ executioni demandabitur. Harum vigore litterarum, manu nostrâ subscriptarum, & sigillo nostro Imperiali munitarum, quæ dabantur in Civitate nostra Viennæ decimâ quintâ Decembris Anno Millesimo Sexcentesimo Quadragesimo secundo.

Lit. G.

Copia ratificationis Gallicæ super Tractatu præliminari Pacis Vniversalis.



LUDOVICUS Dei gratia Franciæ & Navarræ Rex. Universis præsentes litteras visuris salutem. Visâ in consilio nostro declaratione à dilecto fideli nostro Consiliario nostrorum ordinum commendatario & Legato nostro extraordinario in Germania Domino Comite d'Avaux 25. Decembris Anno supra mille sexcentos quadragesimo † factâ, super tractatu illometipso die ratione præparatoriorum ad pacem per interpositionem charissimi fratris Consanguinei, & confœderati nostri

nostri Regis Daniæ inter dictum Comitem d' Avaux, atque alios Legatos ac deputatos conclusio, cuius Declarationis tenor subsequitur.

Hic inserta erat declaratio prout supra sub num. 23.

Notum facimus, quod pro singulari, quo ferimur bonæ Pacis & tranquillitatis in Republicâ Christianâ stabiliendæ studio, laudaverimus, approbaverimus, & ratificaverimus, pro uti laudamus, approbamus, & ratificamus per præsentes manu nostrâ subscriptas dictam declarationem à Legato nostro extraordinario factam, volemus observare atque exequi omnia ea, in quæ nomine nostro ipse se per eandem obligavit. Talis namque est voluntas nostra. In cuius rei testimonium præsentes sigillo nostro communiri iussimus. Datum Valentiæ, die vigesimâ sextâ Februarii. Anno gratiæ supra mille sexcentos altero & quadragesimo Regni nostri altero & tricesimo.

LUDOVICUS.

Et in aversa plicata membranæ parte.

Per Regem.

Bouthillier.

Lit. H.

Copia Ratificationis Regis Catholici super Tractatu præliminari Pacis ex Hispanico in Latinum fideliter translatæ.



PHILIPPUS Dei gratia, Rex Castellæ, Legionis, Arragoniæ, utriusque Siciliæ, Hierosolymæ, Portugalliæ, Navarræ, Granatæ, Toleti, Valentiæ, Gallætiæ, Maioricæ, Hispalis, Sardiniæ, Cordubæ, Corsicæ, Murciæ, Iaennæ, Algarabum, Algeciræ, Gibraltaris, Insularum Canariæ, Indiarum Orientalium atque Occidentalium Insularum ac terræ firmæ Oceani, &c. Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Mediolani, Comes Habspurgi, Flandriæ, Tyrolis, & Barcinonis, Dominus, Cantabriæ & Molinæ. Quum attendendo ad bonum & tranquillitatem Reipublicæ Christianæ, quæ Deo iuvante obtineri poterit, stabilienda pace generali, ad quam ex parte mea semper ostendi constantem, ac firmam dispositionem, omniaque ad eam obtinendam idonea atque opportuna studia atque officia contuli,

deputando Plenipotentiarios, mittendo ac tenendo Ministros meos in loco ad Congressum assignato, & ad provehendum amplius hoc negotium, quantum in mea fuit manu, dedi auctoritatem & plenipotentiam Serenissimo quondam Cardinali Infanti Ferdinando, fratri meo, (cui æternum benè sit!) ad dandum Salvos Conductus necessarios, quemadmodum etiam ipse fecit diversis vicibus studio ac desiderio almæ pacis, non attentis casibus, qui supervenerunt, qui poterant impedivisse. Et post eiusdem decessum continuans ego eundem effectum, bonamque dispositionem ad quietem publicam, dedi eandem plenipotentiam Don Francisco de Melo Comiti de Asumar, Camerario & Consiliario meo Status, & Gubernatori ac Capitaneo meo Generali Provinciarum Belgicarum, & Carolesij hodie Marchioni Turris de Laguna, qui denuo nomine meo dedit Salvos Conductus necessarios & convenientes; Atque animus & intentio mea erit semper, ut in commodum, ac quietem communem Christiani nominis suscipiatur & concludatur tractatio pacis, & ad hunc finem cum omnibus dispositionibus & mediis necessariis concurrere. Idcircò tenore præsentium ratifico, & approbo Salvos Conductus per dictum Don Franciscum de Melo, tanquam Gubernatorem dictorum Statuum Provinciarum mearum Belgicarum Regio meo nomine, & vi autoritatis, quam ad id habuit atque habet datos; Quamcunque Ratificationem sive Ratificationes ab eodem super actibus antecedentibus in ordine ad dictam pacem factas; Speciatim verò approbo ac ratifico Tractatus pacis præliminares, qui Hamburgi cum Imperialibus, Gallicanis & Suecicis, vel quorumcunque aliorum interessatorum Ministris mediantibus officiis & interventione Serenissimi Regis Daniæ agitati atque conclusi fuerint, & si ita opus sit, do, tradoque eosdem Salvos Conductus, quos dedit, ac deinceps daturus est Serenissimus Imperator frater meus, habendo illos in hac ratificatione & declaratione pro expressis & declaratis, ac si reipsa forent; atque ego eos dedissem manus meæ subscriptione munitos, cosque iam nunc ut tunc approbo, laudo, & ratifico, dando fidem ac verbum meum Regium, me & id, quod hac in re actum est, & quicquid deinceps agetur, validum, stabile, firmum, fixum, ac ratum omni tempore habiturum, Atque hunc in finem iussi expediri præsentes manus meæ subscriptione & sigilli mei Regii appressione corroboratas, recognitas per Secretarium Status, Datas Cæsar Augustæ 8. Octobris, Anno supra mille sexcentos altero & quadragesimo.

Ego Rex.

Lit. I.

Copia plenipotentiæ à Rege Catholico in Cæsarem collatæ, ac ex Hispanico in Latinum fideliter translatæ.




IN animũ quietis publicæ Christiano Orbi per pacem Vniversalem reparandæ desiderium quod habui & habeo, me impellit ad cogitandum de mediis ad eam maturiùs, feliciùsque consequendam, & ad procurandum facilia reddere omnia, quæ tantum bonum aut impedire possint, aut demorari; Et quum inter alia etiam necessarium esse possit accommodare, atque auctorizare formam Salvorum Conductuum, qui ex meâ parte extradi debent pro confœderatis Coronæ Franciæ, & possint hac in re intercurrere dilationes, quas ex se distantia loci ad Congressum designati à Regiâ mea Aula fert, Visum mihi est, è re & Reipublicæ commodo fore, si (licet meo nomine iam traditi Salvi Conductus necessarii, cum omni eâ securitate ac firmitudine, quam ipsa materia postulat, & ego eos laudârim, approbârim, ac ratificârim, specialibus meis litteris, ac si in eis forent expressi) provideatur, quantum ad me attinet, de brevi ac prompta decisione cuiuscunque difficultatis, controversiæ, ac dubii hac in parte occursuri: Data nimirũ Serenissimo Imperatori Ferdinando Tertio, Fratri & Consobrino meo, authoritate ac Plenipotentia meâ Regia, ad dandum meo nomine dictos Salvos Conductus eadem plane formâ ac substantia, quâ Cæsarea sua Maiestas ipsosmet suos sit datura: Idcircò confisus; uti confido, Maiestatem suam Cæsaream pro bono publicis promovendo dignaturam admittere Regiam istam meam Plenipotentiam, eaque uti in modum atque effectum supradictum, Maiestati suæ Cæsareæ illam vigore præsentium omni ampliori ac validiori modo ac formâ, quâ possum ac necessum est, do, tradoque, ut Regio meo nomine, & quemadmodum ipsemet ego, possit dare, ac det litteras passus, & Salvos Conductus meos, qui petiti fuerint pro Confœderatis Coronæ Franciæ ad itineris & Congressus securitatem in eâdem plane forma, cum iisdem terminis & declarationibus, quâ, quibusvè Cæsarea sua Maiestas datura est suos: adeoque iam nunc, ut nunc, laudo, approbo ac ratifico, quæcunq; vigore huius Plenipotentiæ Maiestas sua Cæsarea actura sit, forma ac via

supradicta, ac me obligo fide auctoritatis ac verbi mei Regii me staturum iis firmiter, rataque, fixa ac firma in omne ævum habiturum. Quem in finem iussi expediri præsentes manu meâ subscriptas, & sigillo meo munitas ac recognitas per Secretarium meum Status. Cæsar-Augustæ Octavâ die Octobris 1642.

Ego Rex.

Lit. K.

Copia epistolæ Serenissimi Regis Daniæ ad Residentem Gallicum.



Generose ac Nobilis, sincerè grateque Nobis dilecte, ex litteris à Legato Cæsareo & Cõsiliario nostro Langermanno pridiè Nobis redditis intelleximus, non absque animi commotione, Salvos Conductus, aliaque Instrumenta à parte Imperatoris Romani & Hispaniarum Regis iam denovo producta, & quidem in eâ forma, quæ omnes circa ista antehac motos scrupulos sustulisse videbatur, nondum Vobis satisfacere; Summâ sanè afficimur ægritudine, cum videmus Florentissimas totâ Europa ditiones rapinis & incendiis tantum non in vastam solitudinem redigi & torrentes Christiani sanguinis quotidiè & avidè effundi, cum interim negotium de reducenda pace, tot suspiriis ac gemitibus desiderata tam lente agatur. & in ipsis præliminaribus novis subinde motis difficultatibus sufflaminetur. Inducit Nos hic animi labor, & calamitatum publicarum deploratio, ut liberiùs vos adhortemur, ne tàm rationes, quibus producta diplomata vellicari & labefactari, quã quibus ea sustineri & pro sufficientibus haberi possint, apud Vos valere sinatis. Relatum enim ad Nos fuit, cum instrumẽta ista primo vobis exhiberentur, Vos ea non improbasse. Videmus etiam in declaratione Vestra, quam prædictus Consiliarius noster ad Nos misit nihil contra ea in specie, cur à Vobis recipi nequeant, moveri, sed hoc saltem in genere dici Salvos Conductus Hispanicos non esse plenariè in eo statu, qui desiderari possit; Item ratificationem Hispanicam nondum hic haberi in bona forma: Atqui nos ita statuimus in tanti momenti negotio, & in quo tantum periculum in mora versatur, ut vel unicus dies neglectus multorũ millium hominum cæde ac cruore luendus sit, non omnia anxiè ad vivum

vum resecanda, nec eò respiciendum, an producta Instrumenta plenariè sint in eo statu, quo melior desiderari vel effingi nequeat, sed sufficere debeat, si sint in probabili forma, præsertim, quando eorum emendatio ex remotis oris, unde, non nisi aliquot septimanarum, forsan etiam mensium, spatio haberi possit, petenda sit. Summopere itaque à Vobis contendimus, ut diem à nobis ad mutuam extraditionem sæpedictorum Instrumentorum constitutam ratum habere velitis, ut tandem tractatus principales initium capere, & ad desideratum finem divinâ auxiliante gratiâ deduci queant. Procurabitis ita istud, quod communibus votis & studiis expetitur, nobisque in primis gratissimum erit, qui benvolentiâ ac gratiâ Regiâ id compensare nitemur. Dabantur Haffniæ (18)
(28) Februarij
1643.

Lit. L.

Copia patentum quibus dies ad cõgressum tractatus Pacis vniversalis nominatur.




Acræ Cæsareæ Maiestatis, &c. Domini nostri clementissimi, ad præliminaria pacis cum potestate Legatus, Ioannes Weickardus Comes ab Auersberg, &c. Vniversis & singulis, quorum interest, constare volumus. Postquam ritè impletus sit undiquaque Tractatus præliminaris Hamburgensis, factaque fuerit hinc inde ex præscripto dicti Tractatus mutua omnium Salvorum Conductuum cæterorumq; Instrumentorum commutatio, ita ut pro auspicandis de pace universali congressibus sola dies definienda restet. Idcireò quod felix faustumque sit Orbi Christiano, vi concessæ mihi ab Augustissimo Imperatore, & Rege Catholico potestatis, tàm Augustissimi Imperatoris, quam dicti Regis nomine, hisce in diem undecimam Mensis Iulii, Anni 1643. non modo consentimus, sed etiam promittimus, vi Cæsareæ & Hispanicæ Plenipotentiæ, eundem diem ex parte ipsius Imperi-

alis, & Regiæ Catholicæ Maiestatis infallibiliter servatum iri. In quorum fidem præsentes tribus exemplaribus uno pro Legato Suecico, altero pro Residente Gallico, tertio pro Regis Mediatoris Mandatario, conceptas, manuque propriâ signatas, sigillo quoque solito firmavimus. Actum Hamburgi die 2. Aprilis 23. Martii. Anno 1643.

IOANNES WEICKARDVS

Comes ab Aursperg.

L. S.



TYPO-

TYPOGRAPHUS CURIOSUS LECTORI CURIOSO.



IHIL est sub sole novum, *dicit Textus*; & nihil secretum, *addit Glossa*; *quemadmodum ex istius Operis evulgatione satis constabit, quod eâdem viâ quâ recondi debuerat, in publicum prodit.*


Quis enim celaverit ignem
Lumine qui semper proditur ipse suo?

Qualis est ardens gloriæ desiderium, quo huiusmodi Operum Authores ferri solent veluti istius monitionis sarcinatori contigit; eam nonnullis sua sicla communicanti, qui noluerunt vel non potuerunt Ponere lucernam sub modio. *Pluribus non opus est, Lector Benevole; intelligenti pauca: collatum enim beneficium, licet minimè gratuitum, in conferentium tamen perniciem nollem retorquere. Quidquid sit, voco Te in partem recenter inventi thesauri, ex quo mecum colligas salutem ex inimicis. Hoc fruere, & curiositati nostræ, quæ nullis laboribus nec sumptibus parcit ut tua inserviat, multos similes proventus exopta, & si possis conquire.*

AMI-

AMICO-CRITICA MONITIO AD GALLIÆ LEGATOS, MONASTERIUM WESTPHALORUM PACIS TRACTANDÆ TITULO MISSOS.

ILLUSTRISSIMI EXCELLENTISSIMIQUE DOMINI,



N conscribendis nuper ad Dietam Francofurtensem litteris, Excellentias Vestras summo Proestantis Religionis & causæ studio ferbuisse (ut secretò monent) nolim equidem inficiari : sed ne quid in re tanti momenti dissimulem, liberè dicam, potuisse maiori cum præcautione suum in nostras partes affectum contestari. Ad quid enim classicum illud, nisi ad excitandas eorum vigilias, quos somnolentos desiderabamus ? Ad quid convitia & comminationes in Austriacam Domum, in Cæsaris personam & dignitatem ; nisi ut de impotenti Galliæ in eam invidia, eo tempore luculentius constaret, quo non operiri modò, sed promptissimæ reconciliationis simulacra exhiberi necesse fuerat ? quod hactenus Monasterj EE. VV. satis industriosè præstiterant; adeò ut Hispani ipsi, sicut audio, in huius propensionis vestræ opinionem aliquantulum descendisse viderentur.

Ad quid præterea inserta huiusmodi litteris mentio Tractatus Passaviensis ; nisi ut vos vestris armis miserè confoderitis ? quandoquidem articulo VII. declaratur, Imperij Principes fœderibus cum Gallo initis renunuaturos, & rursus articulo IX. nullatenus ad Regem Francorum res & negotia eiusdem Imperij pertinere.

nere. Ignorabantne E E. V V. non posse hunc lapidem moveri absque aperta & generali Papistarum offensione, eorum etiam, quos tantis sollicitudinibus & præmiis sibi comparare Gallia conata est?

Ad quid pacis Pragensis tam concitata refutatio; nisi ut Electorem Saxonicum & Brandenburgicum cōtumeliis afficeretis, cùm beneficiis omnibus fuissent devinciendi?

Ad quid Censuræ in Electorale Collegium, & insimulationes de suo in divisione Imperii consensu; nisi ad illius odium accerrimè provocandum? si enim EE. VV. in Germanicis Principibus generositatis sensus obstupuisse existimant, errant omninò, aut decipiuntur. Novi illorum magnanimitatem, parum huiusmodi exterarum reprehensionum capacem, quas ne quidem à Rege vestro immediatè ferre possent, ut palam profitentur.

Ad quid exprobrata præteritio Ducis Neoburgici in ditionibus Palatinianis; nisi ad Ducem Bavariæ & Electorem Coloniensem à vobis irrevocabiliter alienandos & arctiùs Cæsari coniungendos, dum vident Domus suæ incrementum ac remunerationem ipsi tyrannidi imputari?

Ad quid Amnistiæ interpellatio; nisi ad ipsius etiam Cæsaris benignitatem patefaciendam? Cùm Ratisbonæ anno M DC.XLI. subscribentibus Comitiis generalibus Imperii, hanc Amnistiam concesserit, & unicuique satis amplas temporis inducias, ut ad propositas in eâ conditiones accederet; qualiter Principes Brunsuicenses fecerunt.

Ad quid indignabunda euulgatio secretarum quarumdam petitionum, quas nonnulli confidenter in sinu Ministrorum Galliæ deposueramus; nisi vt iam toruis obtutibus, tanquā alieni patrocinij dissimulati quæsitores, & à proprio transfugæ, vndequaque designemur, cogamurque ad vitandum opprobrium & suspicionem amouendam hasce E E. V V. litteras vnà cum aliis condemnare?

Ad quid denique Bullæ Aureæ & aliarum Imperij Sanctionum improperata ignorantia ipsis earumdem Sanctionum vel authoribus, vel interpretibus; nisi ad ostētandā cuiusdam superioritatis imaginem, quâ nil potuit nostris intentis esse lethalius?

Ignoscant E E. V V. si tam ingenuè ipsis referam quod video, quod sentio, quod experior. Vbi enim agitur de curatione morbi acuti, qualis iste est, minimè sunt illius symptomata reticenda, vt quàm primùm in vrgenti necessitate remedia adhibeantur. Etideirco accuratè obseruaui quæcumque circa materiam, formam, & stylum earumdem litterarum publicè & priuatim, seu à nostris seu ab aliis dicebantur; quorum compendiarias Notas, currenti calamo nauiter expressas, hîc annecto: vt si fortè Diæta respondeat, anticipatis illius obiectionibus, faciliùs celeriúsque aut elidi aut eludi queant; est enim periculum in morâ: alioquin si conceptæ de prauis E E. V V. intentionibus opiniones adolescant, vix ampliùs euelli poterunt.

Nomina propria differentium arcanis figuris designaui, quæ, si in manus alienas inciderent, esset error

Q novissi-

nouissimus peior priore: si hæc arcana, vt illa Imperij, nondum ad E. E. V.V. peruenerint, habebunt ad manum quem consulant Ioan. Adlerum Saluium, versutissimum rerum Germanicarum exploratorem?

Crebris interrogationibus ad promendos animi mei sensus penes E. E. VV. vsus sum, quod, vt puto, inurbanitati non adscribent; quandoquidem apud Electores, Principesque Imperij in hoc desultorio dicenti genere quandoque acriter excandescũt.

Francofurti ad Mœnum die x. Iunij M. DC. XLIV. stylo veteri.



OBSER-

OBSERVATIONES

IN

EPISTOLAS,

Quas Galliæ Legati Monasterio VVestphalorũ ad singulos S.R.I. Principes & Diætam Francofurtensem scripsêre, die VI. *Aprilis*, M.DC.XLIV.

I. VNIFORMITER omnes, tam Euangelici nostri, quàm Papistæ, arguebant superscriptionẽ *A Messieurs Messieurs les Electeurs, Princes, & Estats du sainct Empire*, quam parum tanti Conuentus dignitati responderc querebantur, eò quòd vocabulum illud *Messieurs* passim in Regno Galliæ infimis quibuscumque Magistratibus tribueretur, & idcirco Batauos nuper ab Excell. Vestris huiusmodi superscriptionis modum non admisisse; adeò vt hoc temperamento vti cogerentur *Aux Seigneurs, &c.* cuius recentis correctionis Excell. Vestræ non immemores, tantò minus ad eumdem scopulum impingere debuerant; præcipuè apud S. R. I. Gremium, cuius quanta sit dignitas, tot Authores Antiqui, & Neoterici designarunt, vt EE. VV. quæ sunt litteratissimæ, nullatenus possint ignorare.

Præterea, qui vestris nostrisque partibus sunt addicti mirabantur, quòd non euitatus fuisset prædictus obex per latinam superscriptionem internis titulis consentaneam *Reuerendissimorum Serenissimorum & Celsissimorum Principum*, nec poterãt capere diuersitatis rationem, nisi quòd suis in Epistolis, sicut vestimẽtis, Galli varietatem & multiuagam inconstantiam sectentur. II.

PP.SS. (quamuis vtique è nostris) non ferebant EE. VV. ad Diætam, pro suarum intentionum Archetypo, exemplar misisse singularis epistolæ, quam priuatim quibusdam Imperii Principibus conscripserant: præterquam enim non sic seruabatur decorum (à quo numquam in Germaniâ declinandum est) per hanc deinde relationem sequebatur, non tãtam huic conuentui generali fiduci- III.

am EE VV. adhibere, quin aliunde sigillatim emendicatis suffragiis, rebus vtcumque suis antea prouidere voluissent; quod eidem Conuentui iniuriosum videbatur, & porrigebat ansam in vnumquemque inquirendi, eius mentē & respōsa inuestigāti, tū earūdē litterarum vim ac robur apud priuatos modis omnib⁹ infringēdi.

IV. Plerique Regem Galliæ *Maximum* à vobis appellari vel respuebant, vel irridebant, in hoc epitheto nimis Satyricè ludentes; mox ratione pusillæ ætatis, mox comparatione factâ cum grandævis Imperatoribus *, qui post subiugatam ipsammet Galliam, *Magni* nomine contenti fuerant: mox allusione petitâ ab aliis quandoque infimæ notæ, quandoque insignis in Christianos crudelitatis, qui *Maximi* etiam vocabantur.

** Carolus Magnus. Otto. Magnus. Valerius Maximus &c. Maximus Imp. V.*

Quæ immediatè huic fastigiosissimo titulo subiiciebantur, de tot tantisque victoriis, opibus & potestatibus eiusdem Regis, non superfluè modò, sed Thrasonicè dicta, & ex Milite glorioso apud Plautum desumpta apparebant. Inter huiusmodi scommata BB. & ego non siluimus, quin ilico obiecimus sub isto Rege, licet pusillo, reportatam insignem victoriam ad oppidum Rocrense. Illi statim retorserunt argumentum per miserrimam Gallorum cladem ad Dutlingam, tantò alteri præferendam, quod in Rocrensi prælio Galli plures quàm Hispani occubuissent, & memorando posteris exemplo in ipso campo victi armatâ manu victores coegissent ad pacta & leges nusquam auditas descendere: in Dutlingensi verò pugnâ vix unus ex Gallorum hostibus desideratus fuisset, cùm Galli sortes suas non in manibus suis sed pedibus positas esse credidissent. Vix nos ab huiusmodi retorsionibus poteramus expedire, cùm veluti controversiæ arbiter surrexit D. D. qui medium hactenus se inter duas factiones præbuerat, & sic conclusit; Quòd licet ex suppositione impossibili concederetur, huiusmodi iactantias veris solidisque fundamentis niti, tamen parum appositè his epistolis inseri; cùm de earum validitate nemo quæstionem movisset; & quod pei⁹ erat, finē cui aptabātur, ad nimium totius Imperii despectum verti: quippe ab huiusmodi vanilocutionū pompâ nihil aliud EE. VV eliciebāt, nisi quod Germani Principes tāto Fideiussore & Patrono, quāt⁹ est Rex Galliæ, carere nō possēt; ipse verò illorū ope nullaten⁹ indigeret. Quib⁹ verbis expressē denotabatur affectata in Germaniæ Principes Dominatio, quos suæ Magnitudinis iamveluti pedissequos & tributarios faciebat.

Elegantiam illius phrasis, *Gravior quidem consultatio nulla est, quam cum de statu & de fortunis agitur, sed nulla brevior*, pauci capiebant, credebantque EE. VV. plus huic Rythmo, *gravior & brevior*, quàm sensui tribuisse, cùm alioquin diu, quod semel deliberandum, ut omnis sapientum schola docuit, testudineoque gradu ad ea progrediendum sit, in quibus non datur amplius pœnitentiæ locus. Ostendi ego aculeatum esse dicendi genus, & volui exemplis comprobare, sed perperam; maiorem enim in EE. VV. intentionum quàm dictionum puritatem desiderant. VI.

rent, earumque aculeos sentiunt equidem, sed non probant.

VII. Principium peculiaris prolixiorisque ad quempiam Imperij Principem epistolæ, ironicum esse, negari non potuit, ubi EE. VV. supponunt, *neminem latere quòd Gallia cupide Pacem sanctam voluerit ; & quinquennio integro et consequendæ incubuerit; quo elapso Austriaci Principes passi sunt se in eũdem consensum trahi.* Parum nobis propitium fuit, quòd qui huic Diætæ modò intersunt, ferè omnes iam postremæ Ratisbonensi interfuerint ; ubi tunc sibi constitisse asserunt, ex ipsimet Coronæ Sueciæ litteris, post compositas omnium salviconductuum difficultates, solam Galliam mutationem locorum, quæ suo prius arbitrio Paci Generali tractandæ destinata fuerant, petiisse ; adeoque pertinaciter, ut eius votis iterum fuerit acquiescendum, ne hinc occasionem captaret; totam harmoniam dissolvendi. Ex quâ mutatione locorum, processit mutatio salviconductuum, & nova præliminarium constitutio. Addunt insuper, durante eâdem Ratisbonensi Diætâ, eius urgentissimas in hoc pacis negotio litteras, apud Regem vestrum sic eviluisse, ut per Bouthillierium, unum ex Secretariis suis, contumeliosè responderi curaverit, quasi quid nimium Imperialia Comitia ad Regem scribendo, sibi arrogâssent, penes quæ tamen aliàs citatus Franciscus Primus prædecessor suus, per procuratores expressos comparuerat, ut sese ab initâ cum Mahometanis confœderatione excusaret. Dicebant etiam, in hoc Secretarii responsione observatas fuisse quasdam prædicamentorum species, quibus Regem suum totius Orbis Monarchis, nemine prorsus excepto, anteferret ; cuius vestigiis modò inhærentes EE. VV. eumdem Regem *Maximum Regum* nuncupabant, in conspectu alterius Imperialis Diætæ, ex cuius chartophylaciis apparet, Sigismundum Imperatorem in medio Parisiensi senatu è solio sublimem, stipantibus Imperii officiariis, iura dedisse, equites creâsse, leges condidisse, pro supremâ quâ in Galliæ Regnum authoritate pollebat.

VIII. Cæteras demonstrationes eius quam dixi Ironicæ assertionis, circa promovendum à Gallis Pacis negotium hauriebant ex quodam libro, qui inscribitur, *Amici ad Amicum, super epistolâ Amici ad Amicum de statu Tractatuum Pacis, Responsio.* Vbi quotidianis actibus & documentis evinci putant, Galliam, Sueciamque omnibus viis & conatibus inchoationi tractatuum Hamburgi, obstitisse, quod & ipse Rex Daniæ ulteriùs dissimulare nesciens, utriusque odium in se excitârat.

Inde mali labes, spretaq; iniuria famæ, ut volunt isti Diætistæ, Iuridici magis quàm Politici rerum æstimatores. Sed quæ posteà absolutis præliminaribus contigêrunt; nos adhuc in maiores respondendi angustias, ex evidentiâ, Quod EE. VV. non rectâ Monasterium petierint; sed ad Batavos diverterint : quòd ibi menses quinque consumpserint, in renovandis & augendis belli, contra Austriacam domum continuandi, pactis & conditionibus, quæ iam in publicum exiêrunt,

exierunt, dum legati Cæsarei & Hispanici Excell. Vest. in Pacis theatro patienter expectantes, non sine maximis Christianorum populorum lamentationibus, feriarentur; qualiter iam per septennium ferè integrũ ipsis contigerat, dum unà cum legato Pontificio Coloniæ morarentur, & vos continuò eiusdem Pacis Mediatores tam per Oratores suos Parisiis degentes, quàm frequentibus conceptissimisque litteris ad eò proficiscendum hortarentur. Arguebant etiam, ad novas moras nectendas Cardinalem Roseti, iam operi prope accinctum, à Galliâ fuisse repudiatum, quasi omnia suo nutu ubicumque terrarum effingi debeant, & *Nemo sit qui se abscondat à calore eius.* Ingeminant severiores istarum litterarum Critici, qui utique interpretantur EE. VV. secum Lusitanos & Catalaunos, tamquam paratissima in eamdem Pacem obstacula deduxisse; & in eumdem finem, ipsissimo etiam inchoandorum tractatuum tempore, Coronam Gallicam Suecum in Daniam, Tartarum in Poloniam, Transilvanum in Hungariam, & fere Turcam in Germaniam impulisse. Hæc postrema constanter negabamus, iamque ad manifestæ calumniæ vindictam provocabamus, quotquot vestris stipendiis meremur: sed multum elanguit nostra contentio ad aspectum fœderum, per Ministros Gallicos ad id genus eruptiones procurandas sancitorum, quæ numquam putassemus pessimo fato per Vulgi ora & manus typis mandata traduci debere. Denique ostendebant accurati illi Censores, EE. VV. Plenipotẽtias ab infinitis personis dependere, in quarum voluntatem & arbitrium, omnis quæ vobis concedebatur facultas, translata fuerat; adeò ut, non Plenipotentiæ tantùm sed Omnipotentiæ nominari deberent, eò quòd per eas omnes aliquid possent seu nati seu nascituri, cùm nullo prorsus nec temporum, nec qualitatum termino ij, sine quibus coniunctim nihil prorsus nec agere, nec tractare EE. VV. poterant, circumscriberentur. Post tot diversarum nationum & religionum congeriem, quæ ex Gallicis confœderationibus, tum ex vestris procurationibus Monasterium vocanda est, stupendum erat, quòd adhuc indifferenter omnes Imperij Principes & Status ad vos accerserentur, eosque vellet Gallus non minus quàm Gallina ut pullos suos congregare; ex quâ tam vagâ tot differentium humorum ac capitum mixturâ & convocatione, nihil præter motum ac tumultum, turbam & turbines, prætendi & portendi, quæ tranquillitati publicæ & quieti Christianæ non tam pro sint quàm adversentur.

Ratihabitiones Imperatoris & Regis Hispaniæ non secutas esse qualiter E E. V V. audacter asserunt, non modò negabant V V. X X. sed negationis inconcussa fundamenta per Interpositorum contrariam testificationem producebant, quibus maiorem quam E E. V V. fidem adhibendam omni iure contendebant. IX

Tum vlteriùs progredientes ad eam partem peruenerunt, quâ E E. V V. insinuant, se statim Hagâ Monaste- X.

nasterium profectos; in quo vocabulo *Statim*, multùm hæserunt, & adhuc, vt puto, hærerent, nisi iocosè TT. dixisset, E E. V V. toto Epistolarum contextu poëticè locutas, vt ex rithmis, figuris, epithetis, & licẽtiis apparebat; in huius vocabuli significatione respexisse ad quantitatem, ex quâ illud *Statim* erat longum.

XII. Quod vero sibi E E. V V. imputant, se Batauorum Ordines in suam sententiam adduxisse, forsan parum ipsis Batauis arridebit, qui sui iuris esse in omnibus volunt, & de Libertate præ cæteris gentibus gloriantur. Ita hîc iudicant qui eos norunt, & vos diligunt: iamque vltro illorum *G*enium penetrare potuistis, societati quidem, sed nullatenus seruituti, accommodatum, quique ægrè se exterorum consiliis submittat.

XIII. Verùm quod immediatè subditur, eosdem Batauos ex sententiâ E E. V V. Monasterium versus propediem iter adornaturos, nos aliquantulum à metu prædictæ offensionis liberat; cùm enim videamus eos non moueri, facilè credimus, cum E E. V V. sic conuenisse vt ista omnia scriberentur, sed minimè executioni mandarentur; adeò vt vnus idemque fuerit animorum consensus, ad imponendum credulis: alioquin istud *Propediem*, eiusdem naturæ esset ac illud *Statim*, cuius superiùs ludicram interpretationem referebam.

XIV. Sequitur exclamatio magna E E. V V. per hæc verba, *Vtinam eamdem Cæsareanis viam insistere visum esset*! quam optatiuam amoris testificationem nonnulli approbant, quidam reiiciunt, alii distinguunt. Qui approbant, hoc sensu vtuntur; Vtinam Cæsareani occasiones Galliam inuadendi non respuissent sed fouissent, vt Gallia illas Germaniam diripiendi non intermisit, sed modis omnibus excitauit: vtinam Cæsareani Reginæ Matri Mariæ Mediceæ, & Gastonio Regis Galliæ Fratri, contra Richelij tyrannidem auxilia petentibus, non recusâssent, quemadmodum Galli contra Imperium exteris suppeditârunt, imò in eius excidium illos vltro prouocârunt. Vtinam Cæsareani, dum omnia in Imperio florerent, & Gallia per ciuiles discordias intra pupillarem defuncti Regis sui ætatem ad suum interitum rueret, saltem copias contra eumdem Regem colligi non prohibuissent, vel Comiti Schõbergio alias, in eiusdem Regis suppetias, non concessissent; integrum staret hodie & incolume Imperium Romanum, nec tot Reguli Aquilæ pennis fulgerent & induerentur. Qui eamdem E E. V V. exoptationem reiiciunt, Absit, inquiunt, vt Gallorum vestigiis vllatenus insistamus, quæ tantùm à viis Pacis, quantùm terra à cœlo, distant. Ad pacem bonâ fide & sincero animo nos oportet contendere, non effictis ad decipiendum vocibus, & verborum flosculis, ceu vepribus, ad renouandas in Imperio dissensiones studiosè compositis. Satius erit adhuc cum aliquâ fortunarum iacturâ, Germanam fidem retinere, quàm ritu Gallico per huiusmodi seditionum flabella quidpiam consequi, omnemque pro tantillo lucro Tractatuum religionem exuere. Qui verò distinguunt, bifariam hanc viam Gallorum partiuntur, cu-

ius

ius primæ parti illæso Cæsareanorum honore adhæreri potuisse asserunt, vim vi, aggressiones aggressionibus, confœderationes confœderationibus, tempestiuè opponendo: à secûdâ verò eiusdem propositæ viæ parte deflectendum esse, quâ videlicet à veris legitimisque pacis desideriis deflectitur, dum sola illius larua ostenditur, sub quâ belli apparatus, tamquã in equo Troiano, licet paciferæ Palladi consecrato, tutiùs delitescant.

XIV. Ab explicatione prædictæ exclamationis transierunt ad integram declamationem, quam sic EE. VV. ex abrupto adoriuntur, *Vbi sunt quorum*
„ *maximè causâ bellum susceptum est, &*
„ *feliciter gestum? Vbi illæ voces Amni-*
„ *stiam flagitantium, & quæ nunc ultro se offert, instaurandi Imperii occasionem?* Dicebam ego hîc omnino Ciceronianè EE.VV. eloqui; sed respondit unus, non à Cicerone, quin à Ioanne Despoterio Ninivitâ hoc dicendi genus mutuatum, sub hac regulâ, *Quæstio si fiat per ubi*; unde nonnulli ostendebantur, eò quòd EE. VV. cum illis tamquam cum Grammaticis & Rudimentariis agerent: nec mirum subiecit alter, agunt enim quod possunt, ut nos declinare doceant; atqui, addidit tertius, imò non coniugare, omnimodam enim tam inter nos, quàm cum Imperatore divisionis ansam præbent. Sed missis huiusmodi facetiarum præludiis, seriò animadverterunt in hæc vocabula, *Instaurandi Imperii occasionem*, non verò restaurandi. Ergo, dicebant, novum Imperium Galli cupiunt novam formam, novam materiam introducere designant; ergo ipsamet fundamenta evertere, & nil penitus eorum quæ anteà fuerunt, asservare meditantur: Tum ad illam interrogationem, *Vbi sunt quorum causâ bellum susceptum est?* respondebant, vix EE. VV. nuntios reperturos, qui cis suas litteras deferre vellent, & Charontis cymbam idcirco conscendere: ut ad Fredericum Palatinum, Bethlemum Gaborium, Ernestum spurium Mansfeldium, Christianum Principem Anhaltinum, Christianum Brunsuicensem, Administratorem Halberstadiensem, Gustavum Sueciæ Regem, Bernardum Ducem Weimariensem, aliosque id genus pervenirent: qui meritò præterea è sepulchris suis EE. VV. essent refutaturi, cùm arma potius pro Gallis susceperint, quam Galli pro illis: & unicam hodie superesse Landgraviam Hassiæ, quæ ad Tribunal Gallicum per EE. VV. tamquam per apparitores sisti possit. Quod si nec ipsa, quæ annuâ pensione à vobis dotatur, per ablegatos suos Monasterii comparuerit, Quid in alios tanto impetu, aiunt, isti Præcones invehuntur? Quid Imperatori hanc Hessianorum absentiam adscribunt, cum quo aperto Marte cõgredi non perhorrescunt? Quid penes Diætam conqueruntur, in quâ nullum Deputatum habet eadem Landgravia? Quid denique per hæc verba, *Nullus ab singulis ablegatus*, unicuique Principum insultant penes hæc Conuentia, à quibus nec ab Imperatore etiam detinentur, quin utrisque iteratis declarationibus, singulis ut singulis libertas relicta est Mõ. steriium proficiscendi? Et quâ fronte possunt Galli quidpiam exprobare exteris

teris & alienis, ut sunt Imperii Principes eorum respectu, de morâ & cunctatione Monasterium conveniendi? Cum nemo Colligatorum suorum ibi adhuc appareat; ut sunt Batavi Hassi, Sabaudi, Mantuani, reliquique, quos tam definitè quàm indefinitè suis procurationibus inseruerunt. Vnde satis evincitur, istos vehementes oratores nil minus concitato epistolæ stylo sectari, quàm quod obtendunt, sed tantùm modum quærere, quo novos belli fomites subministrare queant.

XV His præsertim considerationibus deprimunt emphasim prementis orationis, quam EE. VV. in loco superius allegato magno impetu effuderunt: ego verò insuper moneo, nostros Evãgelicos ægrè tulisse quòd EE. VV. Gallos Suecis in eodem orationis contextu anteponant, tantò magis quòd ad huiusmodi inurbanitatem Suecì de seipsis scribentes, (ut EE. VV. satis sciunt,) numquam devenerint. Abstineant igitur amabo à tantâ, quantam ubique exhibent, suæ sublimitatis opinione. Novi enim Succos, & audivi sæpissimè de his rebus obliquè loquentes, tum alios etiam multùm in historiis versatos, qui à Gothis fusos domitosque aliquoties Gallos, numquam verò Gothos à Gallis asseverabant.

XVI. Quod paulò inferius *De detrahendâ personâ* EE. VV. insinuant, auspicatissimum contigit: personatos enim legatos infensissimè Germani oderunt, quales dicunt se anno M.DC.XXX expertos fuisse Dominum Brulard de Leon, & Patrem nescio quem Iosephum, primarium Richelii Satrapam, qui simul & semel ex uno eodemque foramine, contra præceptum Domini, aquam dulcem & amaram, hoc est bellum & pacem, deriuabat: sed hanc ilico in magnum illum gurgitem & torrentem absorbebat, optandumque fuisset, vt prius in hanc sententiam Galliæ Ministri venissent. Ita illi.

Ego contrà, si crederem E E. VV. *de detrahendâ personâ* seriò loquutas fuisse, ipsis multum obstreperem. Quid enim depositâ laruâ & fuco remoto illis supererit, nisi deformis nuditas iisdem pigmentis exesa & obrugata? Aut numquam inchoandum fuerat, aut vsque ad consummationẽ perseuerandum est; Contractus enim isti verè Anonymi, etsi initio fuerint voluntatis, postmodum fiunt necessitatis; imò etsi dum E E. V V. de detrahendâ personâ sermonem faciunt, iterum magis personentur, sitque hęc recens maiorum deinceps simultatum præparatio & illecebra; melius tamen fuisset ab hac figurâ & inuentione abstinere: cùm enim omnis priuatio supponat habitum, videntur per huiusmodi futuri emendationem, præteriti condemnationem incurrere.

Subiiciunt prætereà E E. V V. *Galliam Germaniæ Libertatem præ se tulisse & constanter tutatam fuisse: Tum seriem istam bellorum, quibuscum tamdiu Christianus populus miserè conflictatur ab isto fermè capite fluxisse, quod neque Principibus, neque Ordinibus Imperii suus honor habitus sit, sua iura seruata, nonnullis etiam Dominia, imò & ipsa Corporis libertas erepta fuerit.* Cuius vastæ assertionis & conclusionis singulas XVII.

 gulas

gulas partes sic attingunt: Nullis Imperij legibus, statutis, nec Annalibus constat, Gallos Libertatis Germanicę tutores designatos fuisse, quin vice versâ illorum in rebus Germanicis interventio reiecta prohibitaque: Germania etiam, quæ tantis dignitatis gradibus Galliam antecellit, nihil sibi in res Gallicas vendicat, non se immiscet sublevandæ oppressioni, quâ mox Regij sanguinis Principes, mox Parlamenta, mox Provinciæ integræ conteruntur; Unde ergo immanis illa propagandæ authoritatis libido; Unde cruenta hæc nec ab Imperij Ordinibus unquam quæsita protectio; Et quid commune habet cum quovis protectionis genere, Episcopatus Basileensis, Ferretæ, & Alsatiæ, Briscoviæ; Uberlingæ, & Brisaci per Gallos violenta occupatio? Hæcne est Libertas Germaniæ, ut opibus, fortunis & ditionibus exuatur; Hiene honos à Principibus suis desideratur, ut ad extremam inopiam & servitutem à Gallis, Tutorum officio fungentibus, redigantur? Nec sunt ista nova penes Gallos: quippe iam dudum eodem prætextu tuendæ Libertatis Imperij, illi Henricus Secundus tres Episcopatus, Principatusque insignes, Virodunensem, Metensem, Tullensem subripuit: tum protectionis nomine iam tunc temporis, Comitem Montisbelli-cardi ditionibus suis spoliavit, & sub confœderationis titulo Argentoratum fraudulenter intercipere conatus est, qui se tamen Germanorum Principum Tutorem nominabat; piumque hoc tutelæ officium gerebat exemplo Ludovici Undecimi, qui pupillæ suæ Mariæ Burgundicæ hæreditatem expilavit. Hæc maiora sunt & apertiora, quàm quæ verborum involucris, nudisque in Austriacam domum convitiis dissimulari possint.

XVIII. Crebris postea cachinnis & subsannationibus exceperunt hanc EE. VV. assertionem, quâ volunt eâ de causâ *Populum Christianum tantis bellis hactenus conflictatum, quòd Principibus Imperij neque Ordinibus suus honos habitus sit.* Quasi verò, ingeminant; Ducatus Lotharingiæ, Barensis, Sedanensis usurpatio; Comitatus Burgundiæ devastatio; Belgij numquam intermissa seu per se, seu per Batavos aggressio; Rhætorum & Vallis Telinæ incolarum commotio; Pignarolij, Susæ, Trini, Casalij etiam adversus ipsos Galliæ fœderatos detentio, Daniæ oppugnatio; Lusitanicæ, Cathalaunicæque rebellionis fomentatio; Transilvani & Tartari magno pretio empta irruptio; ad restituendos Principibus, Ordinibusque Imperij honores (si qui eis adempti essent) quidpiam conferant.

XIX. Plures etiam multò quàm existimâssem habuit contradictores impetitio Domus Austriacæ, quâ velut admoto ariete labem illis Principibus inferre EE. VV. minimè verentur; tum ex crudelitatis notâ, cuius eos incusant, tum ex supposità affectatione universæ per Europam Monarchiæ. Inter alios KK. parum sibi temperavit, tantaque verborum acrimoniâ usus est, ut in discrimen vitæ EE. VV. adducere velle videretur, infinitis authoritatibus & exemplis probans, nullibi gentium à pœnâ & supplicio immunes esse Legatos, qui nō lacessi-

lacessiti sed inoffensi supremos eorũ locorum Dominos in quibus degunt, atrociter offendere non dubitâssent; & saltem ex titulo Cod. *Si quis imperatori maledixerit*, nefanda huiusmodi temeritatis monumenta ilico ultricibus flammis abolenda esse, nec Galliæ Comitia tales umquam penes se & in Regem suum illatas iniurias cuipiam esse condonatura.

YY. & ZZ. quamvis faterentur, inauditâ hactenus audaciâ Imperij Caput, supremæ Maiestatis radiis fulgens, coram membris ab eo dependentibus per EE. VV. quati & conculcari; suadebant nihilominus, ut aliquid Gallicæ levitati, turbulentis temporibus, & Pacis desideriis indulgeretur; sed unanimiter omnes tantarum iniuriarum non refutationem modò, quin & retortionem in Coronam Gallicam approbabant; cuius refutationis & retortionis (nisi mea me fallit memoria) hæc synopsis esse potest.

XX. Innumera Austriacæ clementiæ exempla, nulla severitatis; multa collatorum in ipsos rebelles beneficiorum, nulla illatorum suppliciorum suppetere: & idcirco EE. VV. debacchari quidem multum, probare verò nihil, nec vel minimâ facti specificatione; sed crudis tantùm & generalibus calumniis agere, unde nihil boni E E. V V. portendi ipsæmet iudicarent si diuinis comminationibus terrerentur, per hæc verba; *Non est bonum inferre damnum Iusto, nec percutere Principem, qui recta iudicat*, qualiter se Imperatorem in omnibus gerere existimant.

Quòd enim E E. V V. illi obiiciunt, libertatem & Dominia quibusdam Imperii Principibus eripuisse, nullum penitus prætextum habere videntur, nisi in Treuirensi Archiepiscopo; qui non in ergastulis contabescit, vt Princeps olim Condæus, vt multi Galliæ Cancellarii, & Regiorum sigillorum custodes, vt dux Vindosinensis, vt Marescallus Ornanius, Marescallus etiam de Bassompierre & hodie *Dux* de Beaufort, qui arctissimè coërciti fuêre; sed honestè & commodè ipse Archiepiscopus Treuirensis Viennæ, quemadmodum Regina mater quondam Blesii ad Ligerim detinetur: adeò vt per totam vrbem absque vllis captiuitatis insigniis, imò tribus ab vrbe milliaribus, quocumque tempore possit exspatiari. Quod cùm ab ipsius Electorali Collegii decreto, ob grauissimas causas (ipsique Gallie notissimas) procedat, mirantur, E E. V V. *Cæsari* soli hanc detentionem imputare, & eas etiam pluraliter loqui, in re omnino singulari.

De aliorum Electorum & Principum exiliis, cùm nemo quidpiam audiuerit, & contrarium omnium oculis pateat, vix capiunt, cur E E. V V. non difficilius & obscurius quoddã argumentum susceperint, vt in illud liberè commentarentur. Petunt deinde, An aliquis Principum vel Magnatum Imperij à centum ferè annis securi percussus, aut quovis alio supplicio affectus fuerit? Cumque nemo tale exemplum inter nos recolere potuerit, tantò fortius arguunt non pudere Gallos, si columbinam Austriacorum mansuetudinem immanitatis carpant, dum ipsi Ducis Mommo- XXI.

rancii, Marchionis Bouthevilii, Comitis Challesij, Marescalli Ancoritani, Marescalli Matiliaci, Senatoris Thuani Præsidis Fil. Comitis Capellii, aliorumque id genus innocenti sanguine madent, & luctuosis carnificinis cruentantur, Improperare Cæsari imaginaria exilia, quæ etsi vera essent, non sub Gallorum tamen censuram caderent; & nil aliud à viginti prope annis in Galliâ auditum præter exilia, & proscriptiones, in ipsam Regis Matrem, quam Coloniæ Aggrippinæ rerum omnium egentē Germania vidit, doluit, & obstupuit; in ipsum Regis Fratrem, terque à Regno profugum, & ab exteris Principibus vitæ commoda erogantem, tum successione Regni, & sanguinis iuribus, sine causâ, publico tamen iudicio deiectum. An putant nobis excidisse Principis Casimiri, Poloniæ Regis Fratris, Principis Palatini, natu Maioris, violentā in Gallia incarcerationem? Guisianorum Ducum, Elebouij, Valettani, Vandomii, Bullionii, Subisij, Marchionis Bargij, Marchionis de la Vieuillæ, Cancellarij le Cogneux, Secretarii Monsigot, & Secretarii etiam de Seruient qui ad nos hodie scribit tamquam Plenipotentiarius, plurimorum Episcoporum, Fœminarum illustrium exilia, deportationes & spoliationes? Inter tot tantaque domesticæ feritatis exempla, statim ac in Imperium peruenêre, ibique humanissimè excepti fuêre, duo isti Gallici Aduenæ, omne telorum genus in Cæsareum diadema eiaculantur, & sacram Cæsaris personam, ea ex parte inuadunt, quā & applausus abundè promeritus est. Quippe tantùm abest, vt cuiusuis Principis Imperii sanguinem effuderit, quin captiuos, & in flagranti delicto rebellionis comprehensos, amplexatus est, & liberauit: vt Robertū Principem Palatinum, Marchionem Turlachium, & nuperrimè Ducem Wirtembergensem. His ferè motibus indignationem suam exhalabant, pro defendendâ Austriacorum benignitate: sequentibus verò, pro eliminandâ opinione affectatæ ab illis Monarchiæ vniuersalis.

Mirum est quàm parùm sibi constent Galli, & quàm diuersa in eodem subiecto comminiscantur, Protei aut Vertumni instar, eas statim formas assumentes, quas pro re natâ cupiditatibus suis, (quibus omnia metiuntur) magis putant conuenire. Nuper Austriacam Domum, veluti precariam animam trahentem, vltimosque agentem spiritus repræsentabant: hodie verò sua magnitudine cunctis formidabilem, & vniuersæ Monarchiæ inhiantem delineant. Aut hoc aut illud diceret Comicus; at nec hoc nec illud nos dicimus, quia neutra illarum propositionum, quæ in extremis versantur, quidquam seu veri seu verisimilis continet, quin vtraque vel in sensu diuiso est ridicula, puerilis, & vix apud Anticyrôs admittenda: præterquam enim vna aliam destruit, ambæ tam coniunctæ quàm separatæ cum euidentiâ facti pugnant & collidunt: sed priori nobis non immorandum, cùm inter Peristromata Turcica, peristromate tertio, à Gallo iam Gallo-Græco in grâtiam Othomannorum, rubiginosâ omnium aliarum nationum encomia

acu

acu depicta, postea insigniter & Christianè refutata fuerit in Aulæis Romanis, peristromatibus Turcicis oppositis, *Aulæo tertio.*

Ad secundam igitur, quam solam Gallici Plenipotentiarii modò vrgēt, & in quâ *sibi somnia fingunt*, de immoderato in Austriacis dominandi vsurpandique ambitu, non opus est alio quàm rerum temporumque testimonio; vt tandem aliquando anilia huiusmodi deliramenta fatuis tātùm relinquantur. Nam si Austriacis bona hæreditaria decreuerunt, qualia Helueticas Prouincias, Ducatum Burgundiæ, Matisconensem Comitatum, Wirtembergicam ditionem fuisse, nemo inficiabitur. Et si hasce hæreditarias suas portiones, contēplatione publicæ quietis, numquam repetiērunt; poterit ne sub sensum communem cadere hæc Monarchiæ vniuersalis affectatio in iis, qui ne quidem domestica ambiunt? si ea omnia quæ belli iure occupauerant, sponte volentesque restituerunt, eo tempore quo maioribus vndequaque viribus potiebantur; vt in pace Veruinianâ, in restitutione Statuum Ducis Sabaudiæ Caroli Emanuelis, Ducis Parmensis, Ducis Mantuani; in gratuito deposito Vallis Telinæ, inter manus VRBANI VIII. Romani Pontificis: si de bonis fisco addictis nihil sibi retinuērunt; vt tam in Belgio, quàm Burgundiâ. Nassouianæ confiscationes; in Imperio, Saxonicæ, Hassianæ & multæ aliæ fidem faciunt; si non tantùm alienas possessiones non sibi vendicarunt, licet iure apertissimo delatas: si non tantùm antiquas sibi ab aliis ereptas non inuaserunt, sed si patrimoniales, immemoriali quietâque possessione in domo suâ radicatas, nemine cogente, exteris concesserunt, vt Siennam, Lusatiam: si cum rebellibus subditis amabiliter componere non renuērunt, vt cum Hollandis: si aliis veniam petentibus non recusārunt paternos amplexus, vt multis Bohemis, Hungaris & Superioris Austriæ incolis; ab omni ratione alienum esset, concludere, eos ad vniuersam dominationem contendere; cùm nō minùs huic conclusioni prædicti actus aduersentur; quàm volatui alarum amputatio contradiceret. Siue originem, siue progressum, siue consistentiam illius Domus inspiciamus, nihil non legtimi, temperati, & quieti reperiemus; adeò vt verè de illâ dicatur:

Peragit tranquilla potestas,
Quod violenta nequit:

Huiusmodi lenibus & moderatis gradibus per matrimonia, successiones, & domesticam concordiam, ad eum dignitatis apicem conscendit, quem illius æmuli turbulentis suis factionibus, & machinationibus, omnia susque deque miscendo, & homogenea cum heterogeneis congregando, nondum attingere potuerunt. Numquam de confiniis Austriacis id quod de Gallicis dictum;

Quàm malè vicinis sunt condita mœnia Gallis,
Quàm tristi damnata loco.

Septemdecim tantùm annis aliàs Galli Siciliam obtinuerunt, cùm abominandam eorum intemperantiam ulterius populi ferre non potuerint: Austriaci verò plusquam à sæculo,

ibidem pacatè & laudabiliter regnant. Hæc est utriusque gentis diversitas. toto orbe notissima, quā tamen non istis modò Legatorum suorum epistolis, sed innumeris aliis eiusdem livoris & petulantiæ scriptis, Gallia pervertere conatur; Dominationis suæ maculas in Austriacos reiiciendo, sed frustra apud quempiam mortalium, qui quantulocumque rationis & veritatis, non verò partium studio ducetur: in nostrâ enim Germaniâ ex tanto Principum & civitatum numero quo constat, neminem reperire est, qui sibi ab Austriacâ Domo quidpiam detractum possit ostendere: idem prorsus in Italiâ, quę numquam tranquillior intra se fuit, nec contra Turcarum invasiones tutior, quàm ubi pars illius non infima Austriaco sanguini legitimè cessit; cuius etiam beneficio & liberalitate suum, imò totius Christianitatis propugnaculum, in Melitensi Insulâ obtinet.

Verùm pungit Gallorum animos, illisque stomachum movet, non interrupta à Ducentis annis Austriacorum Imperatorum series. Sed non minus hac in parte quàm in aliis, densâ immoderatæ ambitionis suæ caligine offuscantur: ex dispositione enim Aureæ Bullæ (quam exteri isti Censores tantoperè commendant) non possunt nisi Germani Principes in Imperialem dignitatem cooptari; ut in exclusione Francisci Primi Galliæ Regis, iam tunc temporis pessimis artibus in eamdem dignitatem irrepentis, declaratum fuit. An putant Galli, Germaniam non perhorrescere immane iugum, sub quo afflictissima illorum patria iam dudum gemit, ubi nec Ecclesiastici nec Nobiles à vectigalibus, neque ab oneribus personalibus eximuntur? ubi publica omnium officiorum nundinatio & sordidum beneficiorum commercium? ubi pueri facti Senatores, publicè populis iura dicunt; ubi Parlamenta nihil amplius præter nominis umbram retinent; ubi omnes Regni Ordines exauthorantur; ubi ne quidem liberę sunt ipsę cogitationes, multò minus voces & scripta, adeò ut exterorum etiam, in quos nullum ius Gallia habet, Carnificis manu lacerentur, vel hac tantùm ratione, quòd omni tempore, & omnibus scholis agitatam de tyrañicidio quæstionem, obiter & genericè attingant, quasi solos Galliæ Reges hoc nomine designari, ultores Galli facerentur, ubi denique populus novis tantisque quotidie exactionum, concussionum & extorsionum generibus sic extenuatur, ut duriori conditione quàm ipsa bruta animantia lucis usurâ fruatur. Quam vivendi gubernandique methodum, absit ut umquam in Imperium transire patiamur, & tantùm à debito patriæ amore distrahamur, ut eam, seu dominationi, seu protectioni, seu consiliis eorum submittamus, quibus licet quod libet, nec ulla maior gloria, quàm nullo penitus legum vinculo abstringi.

Atqui forsan obiicient, non sibimet Cæsareum Diadema quærere, sed amicis, ne alioquin hæreditarium in Austriacâ Domo censeatur. Sed quomodo præsumi potest hæreditas, ubi numquam cessat Electio; nec XXIII.

nec in Electione libertas? sine quibus, & non nisi ritè observatis Imperij constitutionibus, nullus Austriacorum ad illud supremæ Maiestatis culmen pervenit. Quid igitur quiescentibus & applaudentibus universis Imperij Electoribus & Principibus, (quorum interest egregium & legitimum Imperatorem habere;) Exotici Aristarchi insurgunt? & in Septemvirale iudicium censoriam virgam intendunt? quam si non ilico discerpamus subinde ferream stringent, quâ nos instar plebis Gallicæ regant.

Non mirantur, quòd quamdiu Caroli Magni progenies durarit, penes eam steterit Imperium: quòd quamdiu ex Otthonum stirpe aliqui reperti sunt, in Imperialem utique dignitatem conscenderint: quòd idem anteà in Augusti & Tiberij descendentibus contigerit, approbatis etiam adoptionibus: tum post divisionem Imperij in familia Constantis, Constantini, Constantij, Gratiani & aliorum. Suecicam & Angliam ab electione in hæreditatem transiisse, non conqueruntur: imò ipsummet Regnum Gallicum ab electivo hæreditarium factum gloriantur: sed in Austriacam Domum tantùm frendent & fremunt, licèt ex ea nemo, nisi per legitimam, liberrimamque Electionem Imperij fasces susceperit, eiusque iura & dignitatem sustentarit: non modò sine quovis peculiari eiusdem Austriacæ Domus emolumento, sed multâ rerum suarum iacturâ. Est enim Imperium, Mulier sine dote: Nomen Maiestatis & splendoris, non verò utilitatis & opulentiæ: nullam enim FERDINANDUS III. nec ullus Prædecessorum suorum, hoc Cæsaris titulo, neque Provinciam, neque urbem, neque arcem, neque domum in toto Imperio obtinet; unde multi Germaniæ Principes, qui se huic oneri impares existimabant, illum olim recusarunt; prudenterque hactenus Electorale Collegium iudicavit, quòd si infirmis manibus & humeris tanta moles imponeretur, multæ hinc in Rempublicam Christianam clades essent derivandæ; quã Electorum prudentiam ex tot eiusdem Christianitatis nationibus soli Galli improbant. Et tamen non audent Polonis obiicere, quòd in Iagellonicâ stirpe Regiam Coronam licet Electivam perennare faciant, haud ignari, Polonis huiusmodi audaciam in exteris, sese rebus suis immiscendi, minimè passuros. De Græci Imperij reformatione; de potentiâ Solimannæ familiæ restringendâ; de spargendis ibi divisionibus; de Electione in eodem Græco Imperio restaurandâ, numquam curarunt aut cogitarunt; licet inde Reipublicæ Christianæ multa beneficia contingere potuissent: sed diminutionem potestatis & divisionem in Domum Austriacam continuò intentârunt, per quam eiusdem Solimannæ familiæ impetus contra Christianos comprimi videbant. Apud Othomannum Imperatorem Legatum habere non cessant, apud Christianum semper: Sulthanum Abrahim illico pro Imperatore nuper salutarunt & eius soleñe iuramentum ad tuendum propagandumque Alcoranum, festivis ignibus, pretiosissimisque donis celebra-

lebrarunt. Sed FERDINANDUM III. licet Regi suo tot sanguinis & affinitatis nexibus coniunctum, soli, non ex Christianis modò, sed ex Barbaris etiam & Infidelibus, Imperatorem cognoscere noluerunt: cumque illum nec patrimonialibus terris, nec subditorum obedientiâ (uti præsumebant) privare potuerint, debitis nominibus, titulis, & honoribus privare decreverunt.

Sed cunctis hanc Enceladicam in superos temeritatem irridentibus paulatim detumuêre, quem Galli tumorem non minori ludibrio Aquila habuit, quàm Taurus illum Bufonis quo crepuit, dum illius magnitudinem ipsâ invitâ naturâ æquare contenderet. Iisdem immensis usurpationum cogitationibus (quas dum aliis affingunt, Galli undequaque fovent) ipsos tandem obrui Iudex Vindexq; Deus patietur; præcipuè cùm & ipsius etiam attributis non Reges modò suos, sed Regis ministros ornare haud perhorrescant: Sic *Divinam intelligentiam*, *Numen sublime*, *Tutelarem Genium*, *Creatorem Galliæ*, *Universi Motorem*, Cardinalem Richelium nominabant.

De meditatâ verò ab illis totius Europæ invasione nemo dubitare potest, post publicatum Iacobi Cassani de iuribus Coronæ Gallicæ Tractatum, non cum licentiâ modò & approbatione, sed cum mandato Regis: nihil enim ibi à prætensionibus Gallorum intactum & immune, ad præparandos videlicet animos, & iacienda tantæ dominationis fundamenta, quæ integris voluminibus, magno pretio empti alii scriptores, ut Aroyius, Sillonius, & iam ante Hotomanus, stabilire aggressi sunt. Vidimus etiam Tragicomœdiam Europæ triumphatæ: vidimus emblemata Iovis Gallici, alteram Europam suis impositam humeris transportantis: vidimus Icones Principum Europæorum, Regi Galliæ variis modis famulantium: vidimus eiusdem Regis statuas, sub cuius pedibus supplices Europæ partes iacebant: vidimus suarum imaginum Inscriptiones, quibus Orbis domitor designabatur: vidimus in tormentis eius bellicis expressam his verbis usurpationis animam: RATIO ULTIMA REGUM.

Multiloquium illud, ut verum fatear, iuris & facti rationibus turgens, veluti fulgur, magno strepitu crebrisque ignibus evibratum, me perculit & obruit; concidique haud aliter, quàm aristarum vertices, dum nimio grandinis impetu quassantur. Multoties aliquid in benefactricis meæ Galliæ defensionem componere, tum posteà recitare meditabar; sed nescio quævis occulta veritatis & reverentia, invitum licet ac reluctantem, ad silentium coëgit. Sperabam saltem post tam prolixam & acerbam crisim, residuum epistolæ EE.VV. examinis severitatem evasurum: sed observârunt insuper, intra duodecim verba contradictionem manifestam, dum EE. VV. minantur, "*Compositis cæteris Europæ partibus, solam Germaniam de statu suo deiectam iri; tum ilico ab Hispanis, ut è re suâ erit, bellandi aut quiescendi suspensas rationes habituram.*" Si enim componantur cæteræ Europæ partes, utique & Hispania: (quæ re verâ in Europâ partem aliquam facit) XXIV.

facit) compositâ verò Hispaniâ, quomodo è re suâ bellandi rationes esse poterunt? nisi (ut inquiunt) Galli nullatenus inita pacis fœdera servare velint, quamvis nihil aliud in ore habeant, præter Pacem firmam, tutam & inviolabilem.

In epitheto, *Legibus soluti*, quod Imperatori tribuitis, vos maximè dissolutos credunt, cum nemini severiùs quàm sibi imperet; tantoque magis secundum Leges vivat, quantò legibus est superior. Præterea, vos bilingues nonnulli hac in parte nominant, eò quòd Hispanis non semel significaveritis, brevi cum illis conventuros, & negotium pacis absoluturos, si separatim ab Imperatore & Imperio tractare vellent: vice versâ Cæsareis, si ab Hispanis disiungerentur: quæ vafrities & versutia vix EE. VV. vultu & apparatu digna videbatur, cùm haud dubitare potuissent, Cæsareos, Hispanosque sibi invicem tales propositiones communicaturos. Et istum in vobis pruritum introducendæ in omnibus divisionis, compararunt eximiæ temeritati Milonis Crotoniatæ, qui nimiùm viribus suis confisus, annosam quercum dividere cupiens, subitâ violentaque distentarum partium reunione, sic interceptus est, ut semel applicatas huic divisioni manus, ampliùs evellere non posset; adeo ut immobilis steterit, & supervenientibus feris in prędam cesserit. Sed dixit XX. si hæc doctrina fuit Richelii ad titulum de *Communi dividundo*, in cuius verba & manes Gallia iuravit, qui in ipsa Aula Regia Filium à Matre, Fratrem à Fratre, & quandoque Virum ab uxore avertit; qua ratione poterunt discipuli deserere Magistrum? & cùm habeant Legem & Prophetam, tantisper ab utriusque præceptis aberrare? Verùm, respondit OO. vivente adhuc tali Magistro isti Discipuli à longè steterunt, multò minùs igitur mortuo adhærebunt: atqui, replicuit XX. nescis eum resurrexisse, & novum alium Pseudoprophetam duplici spiritu, Richelii & suo, moveri, cui omnes Galli obtemperare coguntur? *Dederunt enim regnum suum & gloriam suam alienigenæ.* Dixitque ei Regina: *Tu eris super Domum meam & ad tui oris Imperium cunctus populus obediet, & uno tantùm Regni solio te præcedam.* Is est Cardinalis Mazarinus, patre Siculus, patriâ Romanus, dignitate Gallus, qui hac ingenii duplicitate fruitur, & ideò *Omnes domestici eius vestiti sunt duplicibus.* Ad quam explicationem OO. conticuit, & quietè audivit alios, sic huius interludii progressum abrumpentes.

Multo nostro damno nos Hispanorum in Imperio potentiam sensisse, ut inculcant Gallici Plenipotentiarii, equidem investigatione dignum est, & idcirco singulatim petitis suffragiis quæstio procedere debet. XXV.
Quod unicuique arrisit, meque primùm Directorii Præses, tamquam illius Hispanicæ nationis notissimum Censorem, his verbis compellavit: Heus tu Hispano-Mastix

Fœcundum concute pectus.

Statim de fastu, de modo incedēdi, de ampullatis verbis, de tetricâ fronte, de vestitu peculiari illius gētis sermonem institui; sed nusquam de illis rebus agi idem Præses declaravit,

ravit, quin peti exempla calamitatum per Hispanos in Germaniam illatarum, secundum huius epistolæ tenorem quæ modò pensitabatur. Efflagitaui temporis inducias, vt collectiones, quas domi habebam, consulerem, & obtinui; cumque nihil prorsus reperiam quo hanc E E. V V. assertionem tueri possim, enixè peto, vt si quid veri & probati ipsis occurrat, per citatissimos cursores mittant.

E regione mihi oppositum P P. statim audire voluerunt. Ille quæ dixerant de vestitu, moribus, incessu, & loquendi modo Hispanorum, refutauit; comparatione cum Gallis factâ, quos tamquam Mimos, Histriones, Simias desultorias, & Funambulos Circulatores graphicè nimis repræsentabat. Tam parum hāc parenthesim tulit Director, quin statim ad nodum difficultatis ipsum reuocauit, quem audacter admodum ilico soluit, vnicuique nostrûm denuntians, se contra quemlibet magno pignore certaturum, quòd nec historiis, nec quouis alio documento posset doceri, vllo vnquam tempore Hispanos Imperium inuasisse, aut tantisper infestasse; Et hoc posito fundamento, cùm illud à nemine impugnaretur, sic progressus est: Rex Hispaniarum è Germaniâ originem ducit, Imperii Princeps est, sanguine & dignitate; cuius ideò præsentem in hoc conuentu Deputatum intuemur. Non potest inter nos non hostis modò, sed nequidem alienigenæ loco haberi, quin amici, Socij, Fœderati, imò Fratris coniunctissimi; & idcirco ab iisdem omnino hostibus quibus nos, & eodem tempore impetitur. Non Mediolanensis Ducatus Feudum Imperio denegat, quemadmodum Gallus Delphinatus, Ditionis Sebusianorum; & Comitatus Prouinciæ: Ciuitates & vrbes Imperii, vt Brisacum, Constantiam, Nordlingam, Rhinfeldiam, auxiliaribus copiis aliàs liberauit; Gallus verò Brisacum & Rhinfeldiam occupauit, Constantiam verò & Nordlingam cū Suecis oppugnauit; Ditiones prætereà integras ille quibusdam Imperii Principibus, vt Electori Coloniensi, propriis sumptibus & viribus recuperauit; Gallus verò alios Imperii Principes suis Statibus spoliauit, vt episcopum Basileensem & Virodunensem: Ille pro defendendo Imperio ab anno M. DC. XVIII. insignes nouem exercitus & plusquam octo auri milliones suppeditauit, cùm Gallus pro eodem Imperio opprimēdo & inuadendo parem auri sanguinisque Teutonici quantitatem consumpserit: Ille, contemplatione pacis Germanicæ, restitutionem gratuitam Inferioris Palatinatus (quem pro tot tantisque belli impensis possidet) libens volensque obtulit; vt Legatus Anglicus publico scripto contestatus est; Gallus, quæ vi aut dolo in Imperio obtinet, non modò retinere, sed nouis vsurpationibus augere prætendit, vt per antiqui Regni Austrasiæ toties buccinatam recuperationem satis explicauit, licet nihil prorsus ex prædicto Regno ad Regis Galliæ Antecessores vnquam spectarit, cum nullatenus ipse ex Caroli Magni prosapiâ sit oriundus, & cùm non natione Gallus sed Germanus

nus fuerit Carolus Magnus, Imperatorioque tantùm nomine Regnum illud tenuerit.

XXVI. Ex quibus præmissis & antecedentibus, iste vehemens & semper ad dicendum paratus Orator, inferebat; malè de hac Diætâ sentire E E. V V. dum ipsæ rebus in omnibus versatissimæ, imponere præsumunt in iis, quæ nequidem notitiam plebeculæ fugiunt, & videri existimare, sibi rem esse cum vertiginosis, qui quæ infima sunt, suprema putent; qui reos ac hostes pro Iudicibus & benefactoribus habeant, qui ex solâ eorumdem hostium, reorumque sententiâ optimè de Imperio meritos damnent ac eiiciant.

XXVII. Repentina hæc deductio mihi multùm displicuit; præcipuè cùm illius approbationem in omnium ferè oculis legerem, nō verò sermonibus: cùm enim vix quidpiam huic deductioni addi posse iudicarent, nutu tantùm præeuntem sequebantur.

XXIIX. Deuenerunt tandem ad conclusionem Epistolæ vestræ, vbi in partem victoriarum Gallicarum Germaniæ Principes vocatis, quod passiuè interpretati sunt: vbi etiam asseritis, eodem quo Bohemia fato, Germaniam ruituram; atqui Bohemiam corruisse negant, quin asserunt eamdem hodie esse quæ fuit aliàs, eodem penitus vinculo, titulo & officio, Imperio coniunctam: quo verò iure ab Austriacis possideatur, satis demonstrasse Nicolaum Vernulæum cap. 4. Apologiæ pro gente Austriacâ, & Fabium Hercynianum in Appendice ad Cancellariam Anhaltinam: addunt, hanc de Bohemia quærelam exoleuisse; nisi fortasse rebelles illius Regni, ab omnibus verè Christianis Principibus damnati, eam postremis testamenti tabulis, legati nomine, Galliæ reliquerint, tanquam nouum in Austriacos seditionis tintinnabulum, & perduellionis incentiuum.

Repetitiones & toties geminatæ exhortationes ad vnumquemq; Principem Imperii de libertatibus, dignitatibus & iuribus recuperandis, non tantùm nauseam sed indignationem sibi parere professi sunt; eam libertatem condemnantes, quâ membra capiti legem sint impositura; hanc dignitatem improbantes, quâ sacrosancta supremi Principis Maiestas violatur, & ea iura detrectantes, quæ perpetuam discordiam iam satis superque afflictis Germaniæ populis & ordinibus inferre debeant: non ob immensam hanc Coronæ Gallicæ in Austriacos inuidiam, (cui iam tot tantisque innocentium victimis litatum est) omnium gentium quietem vlteriùs turbandam, & reliqua societatis humanæ vincula dissoluenda: iam Augustissimum Cæsarem ad pacem procurandam veluti è solio descendisse, multaque Christianæ & Germanicæ tranquillitatis intuitu & affectu dissimulasse, quæ in Austriacum nomen, in Cæsaream Domum, in Imperatoriam dignitatem insultabant. Vno verbo, de suo iure iam vltrò remisisse, ad eamdem publicam quietem assequendam, & idcircò à quibusdam FRIDENANDVM, non minùs quàm FERDINANDVM, hoc est PACIFICVM, ex idiomate Germanico vocari; neque hoc sæculo, neque aliis retro antelapsis, quempiam Au-

S 2 stria-

ſtriacorum Principum vmquam à Pacis conditionibus quas pepigerāt, diſceſſiſſe, quin integrâ fide & ab omnibus approbatâ conſtanter eas obſeruaſſe; ſecus verò Galliæ Reges cupiditatibus, commoditatibuſque ſuis eorumdem pacis tractatuum religionem poſthabuiſſe; vt recenter euidentiſſimè oſtēdit Georgius Braudlacht I. C. VVeſtphalus in ſua hiſtoria Pacificationum Auſtro-Hiſpano-Gallicarum.

Hæc ſunt Excellent. Domini, quæ ſingulari obſeruatione mihi digna viſa ſunt, & etiam E E. V V. promptâ communicatione; vt illis attentis & feriò perſpectis, maturiùs deinceps rebus ſuis conſulant. Monebo de reſolutione iſtius Conuentus quæ adhuc in ſuſpenſo manet, donec vnuſquiſque Deputatorum ad ſuos Principales reſcripſerit, & diſtinctiorem inſtructionem habuerit, quam intra paucos dies præſtolantur. Credant E E. V V. me nullatenus officio meo defuiſſe, nec defuturum, ſed

Non eſt in Medico ſemper releuetur (vt æger:
Interdum doctâ plus valet arte (malum.

Itaque ſi votis & ſolicitudinibus meis ſucceſſus non reſpondeant, ſpero quòd E E. V V. cùm ſe Comites nuncupent, pro ſua Comitate me excuſatum habebunt, &c.

Non ſinit verecundia me hîc depromere ea omnia quæ præſtiti, ad mitigandos animos & temperandam multorum acerbitatem, quâ in E E. V V. fervebant. Sufficit quòd teſte conſcientiâ aſſerere poſſim, me tantum hâc in parte non Galliæ modò, ſed E E. V V. perſonis inſeruiiſſe, quantùm operis difficultas patiebatur: eorum verò quæ tam in Galliam quàm in E E. V V. propoſita & agitata fuerunt, pauca omitto, & maximâ ingenuitate in illis referendis vtor; vt ſine fuco ac ornamentis vniuſcuiuſque figuram & dicendi modum exprimam; & idcirco veluti in Scena Actores introduxi, quo magis E E. V V. illorum intentiones perſcrutarentur.

* * *
* *

EPI-

EPISTOLA PRIMA, AD DIÆTAM FRANCOFURTENSEM.

Inscriptio erat talis:

A Messieurs, Messieurs les Electeurs, & Princes & Estats du S. Empire, assemblés à Francfort.

REVERENDISSIMI, SERENISSIMI, AC CELSISSIMI PRINCIPES.



VAS singulis Imperii Principibus dedimus litteras, harum exemplū ad Celsit. Vestras mittimus, quotquot sunt Francofurti de rebus gravissimis consultantes. Gravior quidem consultatio nulla est, quàm cùm de Statu & de fortunis agitur, sed & nulla brevior. Nisi sibi quisque vestrûm caveat, decedet ipsis multùm de dignitate, atque etiam libertate. Cautio autem hæc est, ut Monasterium Westphalorum conveniant, publicæ pacis tractationi, in qua salus Germaniæ tantoperè vertitur, interfuturi; authore & adiutore Christianissimo Rege (quod à nobis prolixè offertur) usuri. Neque verò Rex maximus, etsi societatem Germanicam plurimi faciat, adeò enixè præsentiam vestram urget, quasi illâ carere non possit. Tot opibus enixo, tot victoriis aucto, atque inprimis divinâ providentiâ confiso, non multis defensoribus est opus. Vestris Celsit. prospiciendum videtur, ne in constituendis rebus suis tanto fideiussore, quantus ipse est, careant. Nos studia in hanc rem nostra & ad aliud omne officii genus promptissima pollicemur. Monasterii Westphalorum die VI. *Aprilis* M. DC. XLIV.

Celsit. Vestr.

Observantissimi

CLAUDIUS DE MESMES
SERVIENT.

EPISTOLA SECUNDA, AD SINGULOS SACRI ROM. IMPERII PRINCIPES.

SERENISSIME PRINCEPS,



T. pridem Gallia, ut cupide pacem totâ Christianitate sancitam voluerit, nec Celsitudo Vestra nec è Germaniæ Proceribus quisquam nescire potest. Anni iam nobis quinque in hanc rem intentis perierunt, cùm tandem conspirare nobiscum visi sunt, & in idem publicæ tranquillitatis studium trahi Domus Austriacæ Principes. Pepigimus Hamburgi utriusque partis cum potestate legatis, tempusque & locum habendo conventui ediximus. Pactionem proximè consecuta sunt & Galliæ & Sueciæ ratihabitiones; Imperatoris & Regis Catholici non sunt consecutæ. Exacto deinde anno, Adversarii quieta rursus consilia amplecti, & pactis conventis subscribere. Ut primum pacis spes illa redit; Lutetiâ moturi eramus. Intercessit luctuosa mors Regis nostri, gloriosissimæ memoriæ, quæ non est passa nisi rebus domi constitutis, aliud foris agitare. Ineunte verò Regnum felicibus auspiciis LUDOVICO IV. *Reginæ Matri ac Regenti, sapientissimæ iuxta & sanctissimæ Principi nihil antiquius fuit, quã votis mariti defungi, publicamq; omni ope promovere concordiã. Ipsius mandato statim profecti Hagâ iter fecimus, & Belgii Ordines, huc quoque propediem legationem adornaturos, in nostram sententiam adduximus. Nimirum pacis diuturnitati prospicientibus nobis cautio fuit, ut neque sine belli sociis ullo modo, neque cum iis indiligenter res tanta ageretur. Nunc à nulla re imparati adsumus, nec in nobis mora, nec in Fœderatis erit. Utinam eandem Cæsarianis viam insistere visum esset, & vos, Germaniæ Principes, magnam instituti operis materiam, ad congressum hunc accersere; expeditiores exitus haberet negotium, & seriòrem agi crederemus. Iam verò nullus hic ab universis Imperii Ordinibus, nullus a singulis ablegatus. Ubi sunt quorum maximè causâ bellum susceptum est, & feliciter gestum? ubi illæ voces Amnistiam flagitantium, &, quæ nunc ultro se offert, instaurandi Imperii occasionem? Hanc vel præcipuam inter*

belli

belli causas sibi statuerunt Galli Suecique, ac publicè contestati sunt: eo consilio arma sumpserunt, non nisi redditâ Germaniæ libertate ponenda. Id secus interpretati Austriaci, ita accipi voluerunt, quasi res suæ Regnis solummodo cordi essent, commoda vestra obtenderentur. Vtrius partis sincerior fuerit oratio, magnâ alterutrius mercede hic patefiet.

Nunc demum detrahenda est persona, profitendumque palam in hoc conventu, qui sibi quisque bello parari voluerit. Accedat igitur Celsissimus Princeps; veniant in rem præsentem quotquot sunt Germaniæ Proceres, consiliorum factorumque nostrorum testes futuri, atque haud dubie adiutores. Sane, si ritè atque ex ordine publicam Europæ causam auspicari, & absolvere fas est, non nisi cum Imperatore & Statibus, simul ac semel, transigatur oportet. Neque enim ius belli & pacis ei uni competit, neque Gallia, quæ Germanicam prætulit & constanter tutata est libertatem, in eâque non parum præsidii sibi esse sentit, hæc legitima Imperii & propriæ securitatis fundamenta convelli patietur umquam.

Norunt omnes, seriem istam bellorũ quibuscum tamdiu Christianus populus miserè conflictatur, ab isto fermè capite fluxisse, quòd neque Principibus, neque Ordinibus Imperii suus honor habitus sit, sua iura seruata, nonnullis etiam Dominia, imò & ipsa Corporis libertas, erepta fuerint. Quæ verò ad omnes ab ipsis Imperii primordiis, ac primum latis legibus pertinent, ea ad vnum ferè contraxit paucorum potentia. Quid opus est verbis? iam diu circumfertur, Domum Austriacam Europæ Monarchiam moliri: basin tanti ædificij constituere in summo dominatu Imperij Romani, ceu centri Europæ. Hæc vt stabiliat, omnia Martis iura, vim legum, & munia Magistratuum Ordinibus Imp. paulatim ire ademptum. Sola certè Electores & Principes aliquot in exilium egit; sola hactenus armorum ius sibi asseruit, & nunc quoque Francofurti in eo tota est; vt sibi soli vindicet tractandæ pacis arbitriũ. Quod nisi Celsitudo Vestra, cæterique quibuscum diuisum Imperium Cæsar habet, maturè prohibuerint, actum est de libertate Germanica; iactum firmatumque fundamentum Monarchiæ vbique regnaturæ.

Cùm verò Dei beneficio ita se dent tẽpora, vt liceat tantis malis mederi, eiusque rei causâ frequentes Fœderatorum Principum legati Monasterium VVestphalorum & Osnabrugam conuenerimus, impositùri tot conatibus pulcherrimum finem, hortamur Celsit. Vestram nomine Christianissimi Regis, ne cùm publicæ rei, tum priuatæ in tantâ omnium expectatione desit, & suos continuò Ministros mittat, daturos nobiscum operam, ne armis iam penè parta, tractatu dilabatur cautio communis securitatis. Idcirco Celsit. Vestræ, & vniuersis Imperii Ordinibus saluum conductum impetrauimus, nec nisi impetrato pacis negotium processisset: certè vnum fuit è præliminaribus in quo diutiùs hæsimus. Renuebat omninò Imperator: longo pòst tempore concedebat iis verbis, quæ infra dignitatẽ vestram essent, eâ sententiâ, quæ authoritatem nullam præstaret. Vobis prouidendum est, ne quod tandem magnâ contentione vestri causâ expressimus, insuper habeatis. Sin ita visum fuerit, si tantam sinatis rei bene gerendæ opportunitatem

tatem corrumpi; pace vestrâ dictum sit, hac non erit vestra pax. Compositis ceteris Europæ partibus sola Germania de statu deiecta, non tantùm à soluto legibus Imperatore, sed etiam vt è re Hispanorū fuerit ab extremis Gadibus aut bellandi, aut quiescendi suspensas habebit rationes. Itaque negotium Germanorum inprimis agitur. Quanto suo malo, quam miseranda patriæ calamitate summum illud in Imperio Imperium ipsis steterit, superfluum est eloqui. Experti sunt, & Pragensis pax fidem facit. Si vocatis, vt par erat, omnibus Imperii Principibus instituta fuisset illa tractatio, profectò libera gravesque sententiæ dictæ fuissent, & incendium istud, quo Germania finitimæque provinciæ arserunt, quodque hodie ne ruinâ quidem restinguitur, numquam foret excitatum. Sensissent, qua pollent prudentiâ, Ordines, sub nomine eiusmodi pacis, irritamenta belli latere, vt docuit euentus: quâ pollent authoritate, monuissent auertissentque. Tot malis ac tristi experientia edoctos, vix credimus sese rursum præteriri passuros, in hoc maximè loco vbi de summa rerum agitur. Nec si liceat ipsis per Imperatorem (& quidem facile licebit) alibi seorsim Collegium habere, nullius quæ hic gerentur insciis & inconsultis, salua dignitate consentient. Motis scilicet celeberrimo Conuentu, tanti Principes in loco peregrino starent, additamentum partium. Sed non solum in eo vertitur dignitas; vana illa sint & trāsmittantur. De iure, de fortunis res est. Magnis itineribus hinc dissiti (inania rerum ad ipsos perferentur) arcanorum ignari; neque sincerùm quicquam audirent, quod aliter quam est, referri ipsis, alterius interesset. Nimirum in tantis & impeditissimis negotiis; os ori admonendum est, omnia coram administranda: Internunciis, Epistolis, relationibus quodcumque lubitum est, interpolatur facile adulteraturque. Animaduertant denique, in peculiaria illa comitia gratiam facile irrepere (sordidum enim ibi esse locum vix quisquam suspicari audeat) vt vt sit, omnia Imperatoris arbitratu gerantur necesse est. Quod non perinde usu venit in maioribus comitiis, ubi numerus & authoritas æquitati suffragantur, veritatem in apertâ luce collocant. Quæ quidem etsi aliter quam veremur casura, nullus præstare possit; quis moram pensabit pacis tantopere concupitæ; cuius miros amores cum profiteantur Cæsariani, non est cur ad ambages confugiant, quæ necessariò succidanea & subordinata illa comitia consequētur. Postremo, quis nō iure metuat, ne inter lōgiores moras ex subitis armorū casibus noua consilia capiantur, quibus negotiū pacis omnino intercidat?

Hæc sunt, Celsissime Princeps, quæ ex munere nobis imposito Celsit: Vestræ significata oportuit, pro publico quidem, at singulari Imperii Principum bono, si seriò animum adiecerint. Sin autem cunctatione sua, (quod absit) vel aduersariorum artibus fiat, ut præsentissimam opē ferenti, eosque in partem victoriarum vocanti amicissimo Regi non auscultent, frustra posthac, errore an culpa amissum Imperii decus quæsierint, frustra auream Bullam, Constitutiones Imperiales, Transactionem Passauiensem; frustra Capitulationem & Sacramenta Cæsarum, aut sanctionem Pragmaticam, obsoleta nomina, imploraverint. Vnius Domus patrimonium erit Germania, & quo Bohemia fato, primarium membrum, eodem usque totum Imperii corpus corruet. Denique sic habeat Celsitudo Vestra, & quotquot estis Germaniæ Principes, pristinam dignitatem, iura, libertatem, aut hic recuperanda esse, aut nullibi: taliique imposterum fortuna usuros, qualem sibi communicatis consiliis in hoc Christiani orbis senatu fuerint. Datum Monasterii in VVestphalia die VI. Aprilis M.DC.XLIV.

Inferius

Celsitudini Vestræ

ad omnia officia paratissimi.